



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CXXI. Quo pacto Angeli inter se loquantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Respondeo, neutrum colligi ex doctrina superiori. Non prius: quia quamvis homo, & Angelus semper aff. tu suo sequantur cogitationem efficaciter, & magis expressam: hoc tamen ita intelligitur, ut semper quando movetur affectus, sequatur expressiorem & efficaciorum cogitationem, non tamen quod ab ea non possit non affectus moveri: siquidem cuicumque cognitioni resistere potest, nescit igitur Angelus, an voluntas nostra consentiat cogitationi intensiori vel non consentiat. Adde etiam, quod non quavis cogitatio intensior movet voluntatem, sed ea, quæ peculiari quadam expressione proponit obiectum in quadam proportionem cum voluntate, quam quidem proportionem, & expressiorem, Angelus cognoscere, & penetrare non potest. Nec sequitur posterius, quod inferebatur: quoniam licet peccatum infidelitatis consummetur in errore intellectus & hunc cognosceret Angelus, quatenus est enuntiatio quædam intellectus falsa: tamen cum requirit etiam consensum voluntatis, ut sit peccatum, & hic non sit notus Angelo: plane efficitur, ut Angelus non possit certo cognoscere peccatum infidelitatis in homine. Ceterum ex nimia mora in cogitando contra res fidei, & ex aliis coniecturis ex sensu & imaginatione sumptis discernere potest, hominem in hæresim lapsum fuisse: ob id tamen nunquam affectum cordis intrinsecus, si uti est, sed coniectura tantum magis, aut minus certa colligit.

Deinde obicere quis posset August. qui cum libro de divinatione demonum dixisset demones cognoscere aliquando hominum dispositiones non solum voce prolatis, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam exprimantur in corpore, retractat in lib. 2. retractat. cap. 30. quasi audaciori asseveratione illud dixisset. Respondeo, id non retractat Aug. quod saltem existimaret cogitationes & hominum dispositiones à demonibus ex aliquo affectu cognosci; sed quod incertum existimaret, in ipso corpore signa aliqua exprimi, quibus internæ dispositiones hominum cognoscantur. Verba Augustini sunt, Pervenire ista ad notitiam demonum, per nonnulla etiam experimenta compertum est: sed utrum signa quædam dentur ex corpore cogitantium illis sensibilia, nos autem latentia, an alia vi & ea spirituali ista cognoscant, aut difficillime potest ab hominibus, aut omnino non potest inveniri. Solum igitur existimat Aug. difficile, an dentur in corpore signa sensibilia, quibus Angeli discernant cogitationes, & secreta cordium: & hoc solum se dicit audaciori asseveratione affirmasse.

DISPUT. CCXI.

Quo pacto angeli inter se loquantur.

Angelos sibi mutuo loqui, indubitatum est. cap. 1.
Unum Angelum alteri loqui dum imprimitur in mentem eius cognitionem obiecti à se cogniti, autumat Scotus, cap. 2.

Sententia Scoti refellitur, cap. 3.

Unum Angelum alteri loqui imprimendo illi speciem suam cognitionis nonnulli consent, cap. 4.

Præcedens opinio confutatur, cap. 5.

Diluuntur rationes superioris sententia, cap. 6.

Angelos sibi mutuo loqui per hoc, quod unus imprimat cognitionem sui conceptus menti alterius Angeli,

ARTIC. IV.

Angelos sibi mutuo loqui, indubitatum est.

Unum Angelum alteri loqui eo solum, quod illi sumitur ei manifestum fieri alijs que alia in ipsa cognitione dixerunt Cæcilius, & Capitel. cap. 8.

Quid senserit Durandus, cap. 9.

Loquutionem Angelorum fieri per signa quædam spiritualia, quæ non sunt conceptus & intelligentiæ, senserunt Agidius & alij. a. 10.

Loquutionem Angelos esse verbum mentis, vel intelligentiæ aliquam alij consent, cap. 11.

Diluuntur argumenta contra præcedentem opinionem capite 12.

CAPIT. I.

Angelos sibi mutuo loqui, indubitatum est.

Tamen si Sancti Thom. in fr. quæst. 107. disputet de locutione angelorum, visum tamen est mihi non abs te totam illam questionem in hoc articulo examinare, & quidquid circa locutionem Angelorum notatione dignum est, in vnum colligere. Est autem apud omnes Theologos contra contrarietatem, Angelos loqui, suosque conceptus, & secreta cordium sibi mutuo exprimere: licet de modo, quo id efficiant, non loquuntur ipsos disceptare. Primum igitur Angelos secum mutuo loqui, colligi videtur, ex Scriptura Zachar. 2. ubi dicitur, Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur & Angelus alius egrediebatur in circuitum eius, & dixit ad eum. Apocalyp. 7. Angelus unus clamavit ad quatuor alios dicens, stantem in terra, & mari, &c. Præterea Daniel, & Michæas angelos inter se loquentes videntur, in sua prophetia passim narratur. Ceterum carnis humanæ locis angelis apparuerint prophetis, & locati in specie & figura hominis, posset aliquis dicere locutionem illam non fuisse spiritalem, sed vocibus in aëre formatis, quasi loquutos fuisse. Verum cum hæc locutiones corporeæ in corporeis assumptis indicent hominibus locutiones spirituales, quibus angeli sibi mutuo loquuntur: et eisdem locis non obscure colligitur, Angelos se cum loqui posse: nam si spiritualiter non loquerentur inter se, frustra etiam in corporeis assumptis sermocinarentur aut sermocinantes apparerent. Præterea hoc ipsum perspicue colligitur ex illo Si linguis hominum loquar, & Angelorum, &c. Hanc enim locum tractans Chrysost. hom. 3. in eum Epist. ita scribit, Linguam autem Angelorum dicit, non quia spiritibus corpus affingat; sed sic loquar, quæ vivunt inter se ipsi: quem sensum Pauli sequuntur Theodoretus, O Eumenius, & Anselm. ubi faciunt, angelos inter se loqui, & secreta sui cordis sibi mutuo manifestare, Basilium in hom. in initium Evangel. Ioann. circa modum inquit, Nam & apostolus nobis innuit, quod etiam angeli propriam linguam habeant, cum ait, si linguis hominum loquar, & Angelorum. Deum Ambr. loca Pauli sequuntur illius: ait enim, loqui linguis Angelorum est, habere cognitionem spirituum angelicorum motum, id est, secretum cordis.

Verum Theophyl. in commentariis illis locis, quamvis concedat, Angelos secum loqui, & ipsorum linguam esse intellectum, quo indicent sibi divina sensa communicant: tamen sensum Pauli exponit his verbis. Neque id quidem quod angeli linguas habeant, dixit, sed melius quiddam & perspicacius volens exprimere quod humanæ excelsior linguæ. Possimus igitur ita interpretari Paulum eo loco

2. ut sensus illius sit, si linguis loquar omnium nationum, imo & Angelorum, si tales essent, hoc est, si loquar sublimiori aliqua lingua, quam humana, charitatem autem non habeam &c. quem sensum secuti videntur Hieronymus, Primasius, & Sedulius in illum locum. Possimus etiam locum illum explicare cum Gagne. ut lingua Angelorum ab Apostolo dicatur eloquentissima, qua ratione pulchra facies vulgo dici consuevit facies Angeli, & Actuum 12. cum Herodes veste regia indutus concionem habuisset ad populum, omnes acclamant dicentes, *Voces Dei & non hominum*: quo sensu Proser in Epistola ad Demetriadem afferens hunc locum Pauli inquit, *Esse enim, ut multiplex loquendi peritia, que non solum ad omnem humanam sciendi artem, sed etiam ad angelorum eloquii peruenit facultatem, &c.*

Ceterum quicumque ratione interpreteris hunc locum, ex scriptura manifestum est, Angelos mutuo sermone secreta cordis sibi aperire, ut ex testimoniis superius adductis manifeste apparet. Præter testimonia autem Patrum allata, hoc ipsum primum plane docet Augustinus in lib. de diuinatione demonum cap. 6. de demonibus enim sic ait, *Si quid de illa Dei dispositione praeuenerint, audiunt, ut praeuenerint, &c.* cum igitur dicat, eos audire, manifeste sentit, alios etiam ipsis loqui: nam à Deo proxime solum illuminantur, & audiunt supremi Angeli iuxta doctrinam Dionysij, quam disput. 2. 16. cap. 1. adducemus.

Deinde Damasius 2. lib. de fide cap. 3. ante medium de Angelis dicit, *non linguis, atque auribus opus habentes, verum circa sermonis administrandum cogitationes suas arguo consilia inter se communicantes*, cum dicit, Angelos non indigere lingua, neque auribus, intelligit corporeas. Nam cum dicat sibi mutuo communicare consilia sua, necessarium linguis & aures spirituales ipsis concedere debet. Postremo, si verum est id quod docet Dionysius, quem disput. illa 2. 16. cap. 1. & 2. 17. allegabimus, nempe Angelos inferiores à superioribus illuminari, dum ab eis mysteria noua cognoscuntur, & id quod docet Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 12. videlicet inferiores obedire superioribus, necessarium consequitur, ipsos inter se loqui: nam neque illuminatio, neque iussio, & imperium sine loquela aliqua adhiberi potest.

Denique eadem veritas ratione confirmatur. Nam si Angeli sibi mutuo non loquerentur nulla inter eos esset societas, nec esse possit: hæc enim communicatione comparatur, & sine illa constare nequit. Dicere autem Angelos societatis capaces non esse absurdum est: nam aptitudo naturalis ad societatem videtur esse proprietas creaturæ rationalis; aut sane si aliud maius ab absurdo incidamus oportet, ut dicamus, Angelos non indigere communicatione & sermone, quia omnia secreta vnus, cuiusque alteri manifesta sunt, quod superioribus disputationibus ostendimus esse falsum. Tota igitur difficultas controuersæ propostæ consistit in explicando modo, quo Angeli sibi mutuo loquuntur. In qua re elucidanda doctores Scholastici in tanta sunt varietate constituti, ut singulorum recensere sententias, & singulatim examinare, sicut oportet, sine prolixitate fieri nequeat. Ceterum ut studioforum exerceantur ingenia, quibus differere de rebus absconditis incundum esse solet, & ut ipsa veritas melius elu-

cidetur, non modo quid nobis probetur, verum etiam, quid ab aliis dicatur, persequi operæ pretium duximus.

CAPUT II.

Vnum Angelum alteri loqui dum imprimit in mentem eius cognitionem obiecti à se cogniti, autumat Scotus.

Non abs re fore existimaui primo loco sententiam Scoti de hac re commemorare, & iuxta mentem ipsius exponere: alia nam ex ipsa, veluti riuuli ex fonte detruata sunt. Afferit igitur, vnum Angelum alteri loqui hoc ipso, quod imprimit intellectui ipsius intellectionem eiusdem obiecti, quod ipse cognoscit, atque hac ratione intellectionem impressam ab vno Angelo intellectui alterius, appellat locutionem, quatenus est effectus Angeli imprimendi illam: vocat autem auditionem, comparatam cum Angelo, qui illam recipit. Ita docet in 2. d. 9. q. 2. §. ad questionem istam, & §. ad vltiorem. Verum ut hanc sententiam iuxta mentem Scoti intelligamus, quædam ex doctrina ipsius notanda sunt. Primum est, intellectionem alicuius obiecti in Angelo quatuor modis posse contingere, primo cum res in se ipsa intuitiue cognoscitur. Secundo cum ab vno Angelo intuitiue cognoscitur aliquid in intellectu alterius cognoscentis illud. Tertio abstractiue per speciem inditam Angelo, vel adquisitam: nulla autem harum intellectionum in Angelo est auditio, aut locutio, quia quæcunque illarum ita est ab obiecto, aut ab specie, ut etiam procedat ab intellectu Angeli intelligentis per illam, ut ab efficienti principio. Quarto denique potest vnus Angelus ita cognoscere aliquod obiectum, ut recipiat intellectionem illius ab alio Angelo tanquam ab integra causa efficienti: qui autem illam recipit, & per eam intelligit, nihil operetur ad illam: & hanc appellat auditionem respectu Angeli recipientis eam, & intelligentis per eam: est autem locutio respectu Angeli efficientis & imprimentis illam.

Secundo ex eodem Scoto notandum est, principium efficiens hanc cognitionem in mente vnus Angeli, quæ est locutio, & auditio, non esse intellectionem existentem in intellectu Angeli loquentis, sed speciem intelligibilem impressam, & memoriam Angeli loquentis constitutam in actu primo ad intelligendum, hoc est potentiam per speciem impressam ad eliciendam intellectionem: quare in sententia Scoti hæc memoria est principium duarum intellectionum, vnus quidem manentis in ipsa, alterius vero transeuntis in intellectum Angeli audientis: quia respectu illius qui recipit, tantum est passio. Porro autem cognitionem actualem existentem in mente Angeli loquentis, non esse causam & principium cognitionis existentis in mente audientis, probat Scotus, quia intellectio actualis non habet rationem parentis, sicut habet memoria: ergo potius à memoria, & specie Angeli loquentis producit intellectionem in mente audientis, quam ab intellectione actuali: in doctrina igitur Scoti intellectio in mente Angeli audientis est eiusdem obiecti, cuius est intellectio in mente loquentis: penderque ex voluntate Angeli loquentis, sicut etiam pender intellectio manens in suo intellectu. Nam sicut subest potestati illius vii specie impressa ad eliciendam

ciendam cognitionem, quæ maneat in ipso: sic etiam ad imprimendam cognitionem in intellectu audientis.

Tertio notandum.

Tertio notandum, Angelum qui loquitur alteri, posse tribus modis in intellectu audientis operari, primo efficiendo actum intellectionis, abique eo, quod imprimat speciem. Secundo efficiendo speciem & intellectionem simul. Tertio efficiendo solam speciem. Primo modo loquitur (inquit Scotus) vnus Angelus alteri Angelo de re iam nota secundum habitum audientis, cuius ille iam habebat speciem: tunc autem Angelus loquens, solum efficit intellectionem in intellectu audientis: nam cum ille, qui audit, iam habeat speciem, non potest in intellectu illius nouam aliam speciem imprimere, eo quod de eodem obiecto in intellectu eiusdem Angeli non possunt esse plures species. Secundo modo loquitur superior inferiori, quando ei manifestat aliquid, cuius inferior nullam habebat speciem, nec illi antea notum erat: quia cum Angelus inferior, qui audit, virtusque capax sit, nempe speciei, & cognitionis: & Angelus superior, qui loquitur illi, vtramque possit imprimere: sequitur, ita loqui inferiori, vt speciem, & cognitionem simul intellectui audientis Angeli communicet: hoc tamen ordine, vt species intelligibilis in intellectu audientis solum producat ab specie, quam habet Angelus, qui loquitur, sicut in sensibilibus vna species ab alia derivatur: intellectio vero impressa intellectui audientis Angeli, efficiatur ab specie simul & intellectu Angeli loquentis, sicut fit intellectio, qua intelligit ipsemet Angelus, qui loquitur.

Tertio modo loquitur vnus Angelus alteri, imprimendo ei solum speciem intelligibilem: quia nequit imprimere cognitionem actualem eiusdem obiecti quod ipse considerat: & hoc modo inferior loquitur aliquando superiori, quando superior non habebat speciem illius obiecti, quod considerabat inferior, & manifestare volebat (nam si alias haberet speciem, non eo concederet Scotus, produci nouam speciem in intellectu superioris) & quando superior Angelus attendit, & actu considerat aliquid aliud: tunc enim inferior ita producit speciem obiecti, quod ipse cognoscit, in intellectu superioris vt non possit producere actualem cognitionem illius, eo quod non potest distrahere intellectum superioris, vt relicta consideratione, quam habet, attendat ad id, quod ipse proponit: contra vero si superior inferiori loqueretur, etiam si inferior distractus esset in consideratione alterius rei, non solum posset ei imprimere speciem, sed etiam actualem considerationem obiecti, quod ipse considerat, & cupit exprimere: eo quod ratione perfectioris naturæ, quam habet, vim habet superior impediendi inferiorem à cogitatione & consideratione, in qua est: ac proinde imprimere potest aliam longe diuersam: Angelum vero inferiorem, qui loquitur superiori, & non potest imprimere intellectionem, sed solum speciem, comparat Scotus homini voce loquenti cum altero, qui nihil attendit eorum, quæ dicuntur, eo quod animo sit distractus in consideratione alterius rei. Hæc est tota doctrina Scoti, tamen si diuerso ordine disposita: quam licet colligere ex quæst. allegata §. *Ad vltiorem*. Ex quibus constat, in sententia illius, loqui vnum

ARTIC. IV.

Angelum alteri, nihil aliud esse, quam imprimere intellectionem eiusdem obiecti intellectui audientis.

Hanc autem opinionem hoc modo explicatam probat Scotus in §. *Ad quæstionem*, quia ille qui loquitur alteri, si posset, hoc ipso quod loquitur, proxime produceret in intellectu audientis conceptum, & intellectionem de illa re, de qua loquitur, homines vero propter suam imperfectiorem, & defectum virtutis, dum voce loquuntur, remota solum, hoc est, per vocem prolatam sunt causa conceptus & cogitationis in audiente: qui Angelus potest proxime producere cognitionem eiusdem obiecti in intellectu audientis, quia omne agens constitutum in actu primo potest operari, & effectum producere in quocumque subiecto capaci & idoneo, Angelus autem, qui loquitur, constitutus est in actu primo ad producendam intellectionem, & Angelus, qui debet audire, capax est talis intellectionis: ergo Angelus, qui loquitur, producere potest in intellectu audientis intellectionem, ac proinde hoc modo loqui cum alio.

CAPVT III.

Sententia Scoti resellitur.

Hanc opinionem Scoti falsitas resellit Gregorius loco inferius allegando & primo probat falsum esse illud, quod primo loco Scotus docuit, nempe posse vnum Angelum videre in mente alterius rem aliquam (vt autem) intuitiue, via plus cognitione in mente illius: nam sicut late obiectum supra disput. 8. cap. 3. impossibile est, per medium aliquid prius visum, aliquid aliud videre nisi in eo medio sit tota ratio alterius & ita per cognitionem alterius obiecti prius visum non potest clare videri obiectum illius, verum cum hanc etiam doctrinam ipse Scotus tradidit quod libeto 14. vt ibidem diximus: exultum in loco superius allegato id non docuisse, quod illi imputat Gregorius: imo vero quæst. citata §. *Ad vltimam*, circa finem plane docet, ex eo quod vnus Angelus videat visionem alicuius obiecti in mente alterius Angeli, videre etiam quodammodo obiectum illius visionis: cum dicit, *Quodammodo*, plane indicauit, non clare intueri obiectum illius visionis, sicut est.

Hoc igitur prætermisso, sententia Scoti quoad reliqua, quæ docet de locutione Angelorum, impugnanda est. Primo, quia falsum est, intellectionem, quæ est actio vitalis, & essentialiter pendet ab eo, in quo est, qui per eam intelligere dicitur, vt ostendimus i. 2. quæst. 3. artic. 2. posse ab vno Angelo in intellectu alterius produci ergo vnus alteri loqui non potest producendo cognitionem eius obiecti, quod ipse cognoscit, in intellectu alterius.

Secundo, etiam si posset Angelus atque homo intelligere per intellectionem, quam ipse in seipso non producerent, sed ab alio reciperent, tamen adhuc falsum est, posse produci intellectionem ab vno Angelo in mente alterius: communis enim sententia Scholasticorum in 2. 2. q. 1. est, non posse animam hominis ab Angelo immutari, nisi solum media imaginatione, sed neque imaginationem ipsam posse immutari impressione qualitatis, sed sola applicatione alicuius agentis.

vel saltem motu aliquo secundum locum; quo humores humani corporis excitari possint: quo igitur fundamento Scotus affirmare potuit, unum Angelum posse producere in intellectu alterius intellectionem & cognitionem?

Tertio etiam si Angelus id posset efficere, ob id tamen non diceretur loqui ei, cui intellectionem imprimeret: nam producere intellectionem in aliquo, potius est efficere, ut ille intelligat, quam loqui cum ipso: alteri enim loqui, proprie non est efficere, ut ille intelligat eandem rem, quam ego etiam intelligo: sed meum de illa re conceptum ei explicare, hoc est, facere, ut ille intelligat, me id in mente habere: ut igitur unus Angelus alteri loquatur imprimendo illi intellectionem, sicut dicebat Scotus, debet imprimere intellectionem suam proprie intellectionis, & non solum rei, quam ipse intelligit: nam si solum imprimeret intellectionem obiecti, quod ipse etiam intelligit, non imprimens noticiam suam intellectionis, non posset alius discernere, quis sibi loqueretur: solum enim cognosceret rem cognitam ab alio, sed non cognosceret intellectionem loquentis. Quod si diceret Scotus, unum Angelum non solum imprimere in intellectu alterius intellectionem eiusdem obiecti, quod ipse cognoscit, verum etiam noticiam suam ipsius intellectionis; consequenter deberet asserere, principium imprimens in altero Angelo noticiam illam, non esse intellectum Angeli loquentis, cum specie, sed intellectionem existentem in mente Angeli loquentis: nam intellectus cum specie obiecti solum potest esse principium efficiendi cognitionem illius obiecti, aut in ipso met Angelo, aut in alio, si unus in alio noticiam posset producere. Si enim intellectus cum specie obiecti, non est principium cognitionis reflexæ in eodem met Angelo, & noticiæ, qua cognoscit, se intelligere, multo fortiori ratione non poterit esse principium producendi noticiam suam ipsius intellectionis in mente alterius. An vero cognitio existens in mente loquentis, possit esse principium noticiæ in mente audientis, ut eam producat, & dicemus.

Quarto contra Scoti sententiam pugnat hæc ratio. Si unus Angelus potest virtute sui intellectus, & speciei, quam habet de obiecto, imprimere mentaliter cognitionem eiusdem obiecti, & eo modo ei loqui: posset etiam in animam nostram idem efficere, sicut etiam in separatam: Nihil enim obstat videtur coniunctio cum corpore, & corpus ipsam, quo minus spirituale intellectione producat in anima: quis autem audeat dicere, Angelos, aut demones ita nobis loqui? ergo si igni est, nec Angelos sibi mutuo loqui eo modo, quo putavit Scotus. Eandem vero rationem esse animæ separatæ & coniunctæ infra cap. 5. satis ostendam. Præterea, aut anima nostra separata non posset loqui cum Angelo, aut si posset loqui, posset illi imprimere noticiam eiusdem obiecti, quod cognoscit: si autem separata potest, posset etiam coniuncta: quia eadem est ratio ipsius in utroque statu, ut dicemus.

Quinto arguit Greg. hoc modo: Cum Angelus, qui audit, videat in intellectibus plurium Angelorum species eiusdem obiecti, cuius ipse accipit noticiam impressam: vnde nam discernere potest, ab hoc potius quam ab illo provenire? quod si hoc discernere non valet; non poterit scire, quis eorum sibi loquatur.

Sexto id, quod docet Scotus in ea quæst. allegata §. Ad argumenta secunda questionis, ad primum, mihi non probatur, nempe posse unum Angelum alteri loqui modo superius explicato, quamvis sua cogitatio esset illi per se nota, & obiectum illius: hoc igitur mihi non probatur: nam quamvis recte posset aliquis alteri loqui, cui sua cogitatio nota est, explicando illi suam mentem, sicut nos quotidie loquimur Deo, cui omne corpus strum patet: tam si loquutio fiat eo modo, quem Scotus comminiscitur, frustra videtur unus Angelus alteri loqui, cui idem obiectum notum est: quid enim refert, si Angelus imprimat noticiam obiecti, quod ipse cognoscit, alteri Angelo, cui iam illud obiectum per se notum erat, & eandem rem duabus cognitionibus intelligat, altera à se elicitæ, altera vero impressa ab Angelo loquente? Imo si Scotus dictis constare deberet, id nullo modo fieri posse asseveraret: nam ea ratione ipse dixit, inferiorem Angelum non posse loqui superiori rem aliam intelligenti, quia non posset illi imprimere noticiam, eo quod duæ noticiæ simul in eodem intellectu esse non possunt. Ego autem non video, cur potius de diversis obiectis duæ diversæ noticiæ simul esse nequeant, de eodem autem esse possint: cum altera debeat esse elicitæ ab intellectu, altera solum in eo recepta, ut ex dictis constat.

Postremo, si verum esset quod docet Scotus, nempe inferiorem Angelum non posse loqui superiori, quando ille distractus est, & non cogitat idem, quod inferior; sequeretur, raro posse inferiorem superiori loqui: quod est absurdum: raro enim contingit, ut de eadem re uterque simul cogitet.

Argumentum vero, quo Scotus suam confirmat sententiam, facile est. Respondemus ergo, intellectum unius Angeli instructum specie intelligibili, esse sufficiens principium producendi cognitionem, seu noticiam in se, non in alio: quia solum est principium actionis immanens, & vitalis. Eadem quoque ratione intellectus Angeli audientis capax est noticiæ & cognitionis non ab alio, sed à se ipso elicitæ: nec ulla est ratio cur oppositum dicamus, alioquin & nos intellectus posset in Angelos, & Angeli in ipsam noticiam imprimere: quod est absurdum.

CAPUT IV.

Unum Angelum alteri loqui imprimendo illi speciem suam cognitionis nonnulli censent.

Opinio Scoti affinis est sententiæ quorundam recentiorum, qui putant, locutionem Angelorum ita fieri, ut Angelus, qui loquitur, imprimat pro voluntate sua intellectui audientis non cognitionem & noticiam obiecti, quod ipse cognoscit, ut dicebat Scotus; sed speciem noticiæ, quam ipse de re aliqua habet, ut in alteri non solum manifestet obiectum, sed etiam conceptum, quem de obiecto habet. Et idem dicunt de affectu voluntatis, nimirum unum Angelum pro voluntate sua producere in mente alterius conceptum suæ voluntatis. Quod circa iuxta horum sententiam non est eadem operatio etiam diverso modo considerata, locutio, & auditio, sicut dicebat Scotus: sed locutio est impressio speciei intelligibilis in mente Angeli, ad quem locutio dirigitur, auditio vero est notitia producta vi intellectus recipientis speciem illam, & virtute speciei in illo receptæ.

Recens.

Ricard.

Recentiores, qui hanc opinionem sequuntur; putant se patronum illius habere Ricardum in 2. d. 9. a. 2. q. 1 qui tamen cum illis non omnino concordat. Docet enim speciem illam, quam Angelus loquens producit sui conceptus, non recipi ut in subiecto in intellectu audientis; sed angelum, qui loqui desiderat, de radio quodam spiritali sibi connaturali educere speciem quandam sui conceptus, & eam medio radio illo spiritali transmittere usque ad intellectum alterius Angeli, cui loqui decrevit: quam, inquit, semper manere in radio illo transmissa, ut in subiecto, & in eo præsentem fieri intellectui audientis, ita ut Angelus, qui audire debet, ea utatur tanquam instrumento, ut ex illa ipse aliam eliciat, & suo infundat intellectui, quia constitutus in actu primo eliciat notitiam conceptus existentis in mente Angeli loquentis. Quia vero est in potestate Angeli loquentis, protendere nunc radium spiritalem cum specie vique ad intellectum audientis: idcirco potest unus Angelus ita loqui vni Angelo, ut alteri non loquatur, quia potest, ut ei placuerit, protendere radium illum spiritalem vique ad unum Angelum, & non usque ad alium: quo fiet, ut unus audiat, alius vero non audiat.

Sententia
huius fun-
damentis.

Hæc sententia confirmari potest primum, quia fieri nequit locutio cum omnibus necessariis, nisi facta aliqua mutatione in intellectu audientis: ad locutionem autem primum necessarium est, ut loquens faciat attendere audientem: adde quod ita potest loqui unus Angelus alteri, ut alij non audiant: atqui hæc omnia postulant peculiariter aliquam mutationem in mente audientis: nulla autem commodior assignari potest, quam modo explicato, ut inductione patebit: recte igitur eo pacto de locutione Angelorum philosophamur. Deinde nobiliori modo unus Angelus audit alium loquentem, & cognoscit conceptum illius, quam unus homo intelligit mentem & secretum cordis alterius hominis loquentis, quis de hoc dubitet? ergo cum homo cognoscat secretum alterius hominis, quem loquentem audit, notitia solum abstractiva, & per alienas species, Angelus debet cognoscere mentem & conceptum alterius Angeli loquentis, notitia propria (vt aiunt) qui sitativa & intuitiva, ac proinde habere debet propriam speciem illius: hanc autem non habet ab initio suæ creationis, alioquin cognosceret conceptum alterius, & secretum cordis absque eo, quod alter loqueretur ipsi, & illud reuelaret, quod est absurdum: neque dicendum est, Deum præstare futurum ut statim atque unus Angelus loqueretur, & conceptum suum manifestate veller alteri, ei speciem infunderet: hoc enim gratis, & absque fundamento vilo probabili diceretur: reliquum igitur est, ut Angelus, qui loquitur, producat in mente audientis speciem quandam notitiæ quam habet in mente sua, qua illi explicet suum conceptum: nullus enim alius modus congruens superesse videtur, quod dicamus unum Angelum alteri loqui.

CAPVT V.

Præcedens opinio confutatur.

Recentiores commemorati ea solum ratione in hanc sententiam videntur adducti, quod existimarent, quemcumque alium philosophandi modum de hac re plenum esse difficultatibus:

ARTIC. IV.

hic autem plauibilis, & primo aspectu factus appareat: cum tamen reuera non minoribus difficultatibus sit implicatus, ut in hoc capite monstrabimus: ubi etiam postremo paucis reuelabimus modum illum philosophandi Ricardi. Primo igitur contra prædictam opinionem pugnat communis ratio. Nam ex communis sententia Theologorum cum S. Thoma infra q. 110. a. 3. Angelus non potest mutare creaturam corporalem ad minimum generis qualitatis, sed solum motum secundum locum illi potest imprimere, ut disp. 118. c. 1. & 2. dicimus: ergo multo minus creaturæ spiritali poterit speciem intelligibilem communicare. Tum etiam Sancti Thomae infra quæstionem articulo primo, & secundo docet, non posse unum Angelum agere in intellectu, aut voluntate alterius, elique communis Theologorum sententia, utra disputatio et videbimus: ergo eodem modo nequit unus Angelus alteri loqui. Respondetur tamen auctoribus, non posse equidem unum Angelum solo imperio, & nutu voluntatis imprimere aliquid aliud, quam motum secundum locum, neque posse mouere intellectum & voluntatem alterius: vero per modum obiecti potest imprimere similitudinem, & speciem intelligibilem. Vnde præterquam quod hæc solutio ad effugendum solum excogitata videtur, nullius momenti est ex secunda ratione constabit.

Secunda igitur ratio contra eandem sententiam est huiusmodi. Si unus Angelus posset imprimere speciem sui conceptus, & voluntatis intellectui alterius; vel id faceret solo nutu & imperio sine voluntatis, nihil aliud assumens ut principium ad producendum: vel faceret et imperio suo assumpta cognitione, & effectu, quem habet, tanquam principio, ut produceret: priori modo non potest, ut plane fatetur auctoribus; aliquid sequeretur posse unum Angelum producere hoc aut illo modo intellectum alterius Angelum mutare: Neque posteriori modo id efficere potest, nempe in dia sua intellectione, & effectu tanquam obiecto producente speciem sui: nam cognitio existens in mente unius Angeli, & effectus existens in voluntate, si aliquid ex se produci naturaliter & necessario produci, ita ut iam amplius non sit in potestate voluntatis cohibere aut intellectum, aut effectum semel productum, ut ex se nihil producat: hæc namque qualitates non subsunt imperio libero voluntatis recto, ut hoc aut illud, hoc aut illo modo producantur: quæ ratione cum habitus producantur ab actibus, tanquam à proximo principio efficienti, nequit voluntas prout libet prohibere, aut efficere, ut sensus aut intellectus semel productus non producat habitum. Possit quidem voluntas non elicere actum in se ipsa, & impedire, ne intellectus eliceret: at semel producti huiusmodi actus, sicut quid ex se producant, certe naturaliter & necessario producant, nec indigent iam nouo liberatis & voluntatis imperio. Hinc autem iuxta horum sententiam sequeretur, secreta cordium, eo ipso quod sunt, naturaliter & necessario ex se omnibus Angelis esse manifesta: nec pendere ex noua electione voluntatis eius, cuius sunt, manifestare illa, sed statim ex se speciem producere in mente omnium aliorum, quia non esset maior ratio, ob quam potius in intellectu unius Angeli produceretur sui speciem, quam in intellectu alterius.

Respon-

Respondent aduersarij, conceptum existen-
tem in mente, & effectum in voluntate vnus an-
geli, non producere se ex naturaliter speciem sui

in intellectu alterius angeli: sed prout placet angelo, cuius sunt: quia illis vtiur, cum vult ad productionem speciei; neque enim vtiur solum cum volumus potentis nostris, sed etiam habitibus, & qualitatibus in nobis existentibus: vtiur enim speciebus, & habitibus pro arbitrio voluntatis nostrae. Verum responsum hoc facile refelli potest, quia non omnibus, quae sunt in nostra potestate, vtiur cum volumus: sed ipsi solum, quibus facultates nostrae naturales, quae ex se subdita sunt libertati voluntatis, vtuntur ad operandum, veluti speciesbus, & habitibus: haec enim per se non operantur, nec vllum effectum producere possunt, sed tantum cum facultatibus quibus coniunguntur, & quibus tribuuntur vt principia adiuantia: species enim non operatur, nisi cum intellectu. similiter habitus non nisi cum intellectu, vel cum alia facultate, quam reddit habilem ad operandum. Cumque ipsae facultates naturaliter ita sint constitutae, & connexae cum voluntate, vt ab eo moueantur, efficiuntur, vt etiam speciesbus, & habitibus vtiur pro arbitrio & libertate voluntatis. At vero cum omnes alij effectus, quos scimus produci ex solis nostris actibus tam intellectus, quam voluntatis, non proueniant ex aliqua nostra natua facultate, ita naturaliter in nobis producuntur, vt non pendeat ex libertate nostrae voluntatis, producantur non produci ex tali principio, quomodo sit in potestate voluntatis, tale esse principium, ex quo nascatur: veluti habitus, qui in facultatibus nostris generantur & efficiuntur ab actibus, ita naturaliter ab actibus procedunt, vt non possit voluntas obesse, quo minus actus habitus producat aut dispositionem; licet possit libere elicere, aut imperare actum, qui generabit habitum, seu dispositionem, ea solum ratione quia actus est integra causa producendi habitum, nec illum producit cum facultate aliqua nostra natua, quae subit libera potestate hominis. Similiter effectus, qui naturaliter corpori nostro imprimuntur ex actibus passionum & affectionum, non subsunt electioni voluntatis, nec illa obitare potest, quo minus producantur.

Eodem modo, si verum est, ex actu intelligenti in nobis relinqui speciem aliquam ad memoriam vt aduersarij, nisi fallor, asserunt: illa non subest potestati nostrae, sed semel posito actu intellectus, naturaliter & necessario oritur. Sic etiam multiplicatio specierum ex sensibus externis ad internos, & vsque ad intellectum ita naturaliter fit, vt ea non sit in nostra potestate, semel posita specie, & qua alia multiplicatur: quia species non producant alias species cum facultatibus naturalibus, quae subduntur imperio voluntatis. Qua de causa, quamuis vulgo dici soleat, habitibus vtiur cum volumus: non tamen dicitur, actibus vtiur cum volumus, quia non vtiur illis pro voluntate ad aliquid producendum: ergo si conceptus existens in mente, & affectus in voluntate vnus Angeli producant speciem sui in intellectu alterius, nec illam producant cooperante intellectu, aut voluntate, vt aduersarij fatentur, sed ipsi sunt integra causa talis speciei, non pendebit ex libera electione voluntatis, illam producere, aut non producere: sed conceptus in mente

Vsq. in 1. p. tom. 2.

te, & affectus in voluntate angeli semel producti, iam deinceps ex se naturaliter efficientis in intellectu alterius speciem sui. Ex quo sequuntur absurdum, quae superius inferebamur.

Ceterum, vt vim huius argumenti quacunque ratione effugiant aduersarij, respondent, produci quidem naturaliter habitus ab actibus, & ex cognitione relinqui naturaliter speciem impressam in eodem obiecto, neque productionem talis speciei, aut habitus pendere ex voluntate Angeli, aut hominis, in quo est habitus, aut species: quia actus naturaliter inclinatur ad producendum vtrumque: at vero actum existentem in intellectu vnus Angeli, & effectum in voluntate, non inclinari naturaliter ad producendam speciem suam in intellectu alterius: & ideo egere imperio voluntatis eius, in quo sunt, vt libere talem speciem producant. Verum haec solutio non minus excogitata videtur. Quoniam aut actus intellectus, & voluntatis habent ex se virtutem producendi speciem sui in intellectu alterius aut non habent. Si illam habent, ergo non possunt non ad eam producendam naturaliter inclinari: quia actus intellectus, & voluntatis ex se libertatem non habent ad producendum, sed ipsi solum libere producantur; libertas autem ad operandum, in voluntate ipsa est. Deinde actus intellectus, & voluntatis non sunt facultates suapte natura subdita voluntati ad operandum iuxta liberum imperium illius. Postremo, cur dicimus hos actus obedire voluntati, vt producant speciem sui in alio Angelo, non autem vt producant in ipso angelo, in quo sunt: cum virtus tam actus voluntatis, quam intellectus ex se libertatem non habeat, sed naturaliter inclinatur ad producendam sui speciem, & similitudinem? Quare nulla ratio videtur esse, ob quam actui voluntatis, & intellectui tribuamus id, quod aliis facultatibus animae concedimus, nempe subdi voluntati, vt pro imperio illius operetur id, ad quod ex se naturalem virtutem habet: hoc enim proprium videtur facultatum inferiorum, quae in eadem essentia animae, aut Angeli radicem habent. Si vero dicamus, actum intellectus, & voluntatis vnus angeli ex se non habere virtutem producendi speciem sui in intellectu alterius; multo minus eam poterit producere ex imperio voluntatis, vt manifeste patet. Nullo igitur modo dicendum est, ex imperio voluntatis speciem derivari in mentem alterius Angeli.

Tertia ratio contra praecedentem sententiam non minus efficax est, quia nimirum ex ea sequeretur, animam nostram hoc modo loqui posse Angelo, imprimendo illi conceptum suae cogitationis, & voluntatis, non solum cum est separata à corpore, sed etiam in corpore existens: cum enim anima separata loquatur alteri animae separatae, vt constat de anima diuinitis, quae animae Abrahamae loquebatur, Lucae decimo sexto, eadem ratione loqui poterit alteri Angelo: nec enim debemus negare animabus hoc genus vitae, & societatis cum Angelis: cum igitur locutio spiritalis non aliter fiat secundum sententiam horum, quam impressa specie menti Angeli audientis: sequitur, eodem modo animam nostram tam coniunctam, quam separatam posse cum Angelis loqui. Sed respondent, quamdiu anima nostra coniuncta est, non posse ita loqui cum Angelo,

Z z

rest

27.

reſte tamen ſeparatam : eo quod animã noſtrã coniuñcta corpori, ipſo impeditur, quo minus eo modo loquatur. Ceterum oportet dicant nobis, quodnam impedimentum eſſe poteſt coniunçtio cum corpore, ne poſſit anima imprimere ſpeciem ſui conceptus, aut affectus menti alterius animæ, aut Angeli : cum enim non debeat medio corpore operari, ſed virtute ſolius conceptus ſpiritalis, & effectus, qui non indigent propinquitate loci, aut ſaltem non egent contractu corporis : quid obſectro obſtare poteſt, quo minus conceptus in intellectu humano exiſtens, & affectus in voluntate, imprimat ſpeciem ſui alteri animæ, aut angelo, vel in quacumque diſtancia, ſi non indiget propinquitate, vel ſi ea indiget, ſaltem in debita diſtancia abſque alio contactu, qualis requiritur inter agentia corporea ? cum enim integra & perfectã cauſa imprimendi talem ſpeciem ſit conceptus in mente, & affectus in voluntate, & verque ſit idem in anima coniunçta, & ſeparata : ſequitur, aut vtroque modo, aut neutro talem ſpeciem produci. Nam quoties principium & paſſum eſt idem, & nõ eſt impedimentum, aut loci, aut diſtancia, ſequitur idem effectus, ut inductione conſtat. Quæ etiam ratione ductus S. Thomas, infra quaſtione 117. artic. 4. dixit, ſi anima ſuo motu & imperio poſſet mouere corpus ſecundum locum, quando eſt ſeparata, poſſet etiam eoniunçta, nec ſtatus in corpore hanc virtutem ſpiritaliter operandi, aliquo pacto poſſet impedire.

S. Thomas.

Quarta ratio ex eodem ſere principio ad aliud deducit abſurdum, quæ talis eſt. Si hoc modo fieret loquutio, etiamſi anima coniunçta non poſſet angelo loqui, poſſet tamen angelus & demon animæ noſtræ, etiam coniunçta corpori, ita loqui : quod ſi poſſet aliquando ſane accidere : ſuiuolum enim eſſet aſſerere, Deum virtute ſua infinita hæcenus obſtitit, ne ita demones, aut Angeli hominibus loquerentur, cum abſque vilo fundamento affirmaretur : nemo autem hæcenus in ſe expertus eſt, ſibi Angelum hoc modo locutum fuiſſe : ergo ſignum eſt, neque ita loqui poſſe.

Porro autem ex prædicta ſententiã id inferri, quod dicebamus, ſic oſtenditur. Nam ſi Angelus poteſt alteri angelo, & animæ ſeparatæ imprimere ſpeciem ſpiritualem ſui conceptus, & affectus, non minori ratione poterit eam imprimere animæ corpori coniunçtæ : ſiquidem anima ita ſpiritalis eſt coniunçta, ſicut à corpore ſeparata, & ſua ſubſtantia eodem modo capax ſpiritalis ſpeciei, quando eſt coniunçta, ſicut quando eſt ſeparata, & per illam ſemel impreſſam ſine vilo miraculo poſſet in corpore intelligere abſque vilo miniſterio phantaſmatum, ſicut anima Chriſti ſpeciebus infulſis, ſecundum omnium ſententiã operabatur.

20.

Occurritur
enim con-
iunctioni.

Reſpondebit aliquis forſan (hæcenus enim non legi, quid aduerſarij dicant) animam noſtram non eſſe capacem talis ſpiritalis impreſſionis pro hoc ſtatu : quia quamdiu coniunçta eſt, ſolum virtutis miniſterio phantaſmatum ad intelligendum & ad acquirendas ſpecies intelligibiles. Hoc tamen nihil obſtare poteſt, quo minus anima in corpore recipere poſſit ſpecies minime pèdentes à phantaſmatibus, ſi ſit cauſa ex ſe ſufficiens, ut illas imprimat : quod enim anima noſtra alligata ſit

ſenſibus, quamdiu coniunçta eſt corpori ; ſolum impedire poteſt, ne ipſa virtute propria alio modo adquirit ſpecies, quam miniſterio phantaſmatum. Falſitas denique huius ſententiæ ex ſolentibus argumentorum, quibus conſtituitur, patet. Verum antequam ad ea diluenda accedamus, impugnemus ſententiã Ricardi, ſicut ſuperius promiſimus.

Omiſſis autem rationibus contra præcedentem opinionem allatis, quæ etiam contra Ricardum pugnant : id, quod ipſe conſtituit de radio illi ſpiritali emiſſo ab vnoquoque angelo loquentem viſque ad alium, qui audit, multo facilius reſolui poteſt ; vel enim emittitur extra angelum, ſicut vapor, aut ſumus ex corpore ; & hoc contraſtitutum eſt, tum quidem, ſi dicatur eſſe ſubſtantia ſpiritalis ; quis enim crederet ſpiritualem ſubſtantiam ab vnoquoque angelo derivari, quoties ipſe loquitur, vel eo præſentem, quod illa de nullo crearetur, cum ſecundum ſe totam produceretur, quod eſt creati ? Tum etiam, ſi dicatur eſſe accidens ; iam enim eſſet aliquod accidens extra ſubſtantiam, & ſine ſubiecto, quod eſt abſurdum. Vel radius ille ſpiritalis eſt accidens manens in intellectu Angeli loquentis, ita ut ſolum dicatur transmitti ad Angelum, qui debet audire, quia ei ſit præſens ut obiectum, & ſic fruſtra ponitur talis radius ſpiritalis diſtinctus à conceptu Angeli loquentis, & affectus, ex cuius virtute & potentia educatur ſpecies ; cum melius ſit, dicere ſpeciem proximè producti ab effectu, & conceptu Angeli loquentis, quam ab vilo alio radio. Præterea ſuperuacaneum eſt, & commentitium, quod addit Ricardus, ſpeciem quandam produci ex illo radio intellectuali ab Angelo loquenti, & illam offerri Angelo, qui auditurus eſt, ut ipſe inde aliam educat. Tum quia non videtur eſſe neceſſaria tanta ſpecierum multiplicatio ; tum etiam quia niſi vna ſpecies in alia recipiatur, non potest dici vna ex alia educi virtute Angeli ; illam enim ex alio educi dicitur, quod in alio, ut in ſubſpectu recipitur. Certe ſere omnia, quæ dicunt Ricardus ita ab eo conſecta videntur, ut potius ſomnietur ſe videntur, quam ſpeciem aliquam probabiliter tatiſ habere.

CAPVT VI.

Diluuntur rationes ſuperioris ſententiæ.

Am vero difficile non eſt, fundamentum huius opinionis conuellere. Ad priorem rationem reſpondemus, vnum Angelum cogi non poſſe ab alio Angelo loquente, ut audiat, ut infra cultedemus ; cum tamen vnus homo, vel ita nolit audire cogatur, altero loquente. Homo enim audit per ſenſus, qui non poſſunt non ab obiecto præſente moueri, aut certe ſi angelus, qui audit, neceſſario excitatur à loquente, neſcimus modum. Ego vero pro comperto habeo, nequaquam vnum Angelum poſſe ab alio ita excitari impreſſione ſola ſpeciei, ſicut adſtruit præcedens opinio, ut non poſſit non audire, hoc eſt, ut non poſſit ſit non per illam ſpeciem actum intelligere. Nam & in primo inſtanti ſuæ creationis habuerunt angeli ſpecies omnium rerum impreſſas, ita ut communem ſatis ſententiã, & tamen nullus aſſerit, Angelum omnia obiecta illarum ſpecierum actu conſideraſſe, quia ſpeciebus infulſis vtitur Angelus cum vult ; prima vero cogitatio de alijs

de aliqua re non ab alio agente, quam à Deo determinari potest, vt infra disp. 236. ca. 3. etiam dicemus. Potuit igitur angelus recipere speciem ab alio angelo inanimatam ex conceptu, & affectu voluntatis illius, & tamen per illam non operari: ac proinde non intelligere: quod si per illam speciem actu non consideraret, non audiret.

Ad posteriorem vero rationem dico vnum angelum perfectius quidem intelligere affectum alterius angeli sibi loquentis, quam vnus homo intelligat conceptum, & affectum alterius hominis, nihilominus illam cognitionem angeli nunquam egredi limites abstractiue cognitionis, quæ sit per alienos conceptus: nec vnquam angelum ita cognoscere affectum alterius, vt cor illius intueatur, sicuti est, sed tantum quasi ex relatu angeli loquentis. Dixi affectum cordis, nam cogitationem & conceptum angeli loquentis secundum substantiam intuitiue cognoscere posset, non per speciem ab illo emissam, sed per species, quas habet, aut per virtutem sui intellectus, si abique speciebus ceteras res intelligeret, & vera esset illa sententia sententia, quæ asserit, solum affectum cordis vnus angeli occultum esse alteri, non tamen cogitationem, secundum substantiam.

Sed quæret aliquis, an sicut dicimus, futurarum rerum contingentium dari quidem species, sed per illas non posse cognosci res futuras, donec præsentibus sint, eodem modo dicere possimus, affectum & secretorum cordium vnus angeli dari quidem species proprias, per illas tamen non cognosci, donec ab eo angelo, cuius sunt, manifestentur. Respondetur, diuersam esse rationem. Nam, etiam si concedamus species futurorum contingentium: ob id tamen non sequitur, statim futura sub statu futuri cognosci: quia, donec præsentia sint, non sunt obiecta naturalia intellectus creati, vt supra disput. 208. c. 4. ostensum est: variato autem obiecto, etiam si ex parte facultatis maneant reliqua requisita ad intelligendum, non poterit esse cognitio, vt ibidem monstrauimus. At vero si Angelus haberet speciem secretorum alterius angeli, licet ea non intelligeret, vt futura, posset tamen intelligere, vt præsentia: nec opus esset, expectare, vt Angelus, in quo sunt, ea reuelaret; quia reuelatio non variat esse rei: quare si post reuelationem est accommodatum obiectum, & angelus habet speciem propriam illius, ante reuelationem etiam cognosceret. De futuris vero non item; nam diuersum est, esse præsens, aut futurum, & diuersam rationem intelligibilis, & veritatis habet; quare sola variatio hæc sufficit, vt sub vno statu cognosci res possit, quæ sub alio non potest. Nos autem ideo dicimus, necessariam esse locutionem ad manifestanda secreta & affectus cordis, quia Angelus, qui audire debet, non habet speciem illius, nec illud, habet, vt proprium obiectum, quod proprio & quidditatiue conceptu valeat intelligere, sed tantum quatenus exprimitur loquela aliqua, & reuelatione; sicut & nos, qui ex sola reuelatione multa cognoscimus instar eorum, quæ proprio conceptu intuemur, & ideo donec nobis hæc manifestentur, & edoceamur, intelligere ea non valeamus.

Quod dicebatur in posteriori illa ratione, vnum Angelum habere lumen intellectus aptum, & idoneum, vt cognoscat conceptum, & secretum cordis alterius angeli, & ideo posse speciem

Vasquez in 1. parte Tom. 2.

ab illo recipere, si alicuius momenti est, probat etiam contra sectatores huius sententiæ, has species, ita naturaliter fuisse infusas angelo ab initio suæ creationis, sicut species aliarum rerum; vel certe contra naturam angeli has species fuisse denegatas angelo, si aliarum rerum concessæ sunt; aut denique, si Angelus abique vllis speciebus intelligit, quæcumque intelligit, ita naturaliter cognoscere secreta cordium, sicut aliarum rerum naturas, nisi à Deo impediatur; ex quo iam incideremus in sententiam Scoti. Frustra etiam & absque fundamento diceretur, infusionem harum specierum, quas naturaliter Angelus postulat, reservatam esse voluntati angeli loquentis. Quare dicimus, Angelum non esse idoneum, vt has species recipiat ab alio angelo, sicut supra probatum manet. Deinde nec postulare Angelum naturam suam, vt hæc species à Deo infundantur, sicut alia, quia obiectum hoc non est illi proprium, & aptum; vel certe si difficile sit assignare differentiam inter species, quare scilicet hæc potius, quam illæ infundantur, quæ difficultas in omnibus etiam locis habet, vt supra explicauimus disp. 200. ca. 3. dicendum esset angelum res intelligere abique speciebus ea dumtaxat, quæ sunt obiecta sibi naturalia, secreta autem cordis hominis, aut alterius angeli non esse huiusmodi.

CAPVT VII.

Angelos sibi mutuo loqui per hoc, quod vnus imprimis cogitationem sui conceptus menti alterius angeli, senserunt Oram, & Gabriel.

Tertia sententia à duabus præcedentibus non omnino diuersa est, quam tradunt Oram in 2. q. 20. & quodlibet. 1. q. 7. & Gabriel in 2. disp. 9. q. 2. ar. 4. In eius explicationem supponunt, loqui intellectum, nihil aliud esse, quam exprimere in se verbum interius, aut intellectum, & illam in mente habere, audire autem intellectu, idem esse, quod videre, aut intelligere tale verbum in mente alterius; id quod videntur sibi colligere ex Aug. 15. de Trinit. 4. 10. Hoc posito fundamento, asserunt, vnum Angelum alteri loqui hoc modo, vt primum quidem vnus angelus formet in se verbum eius, quod cogitat, & desiderat, vel statuit, deinde hæc cogitatio per modum obiecti efficiat in intellectu alterius non speciem sui, sed notitiam & cognitionem quam dum recipit alter Angelus, audire dicitur verbum intellectus ab alio prolutum. Conuenit autem hæc sententia cum duabus præcedentibus, quatenus ponit aliquid derivatum ab intellectu loquentis angeli in intellectu audientis, cum sententia quidem Scoti, quia inquit, derivari in intellectu audientis non per speciem, sed intellectum, cum opinione vero recentiorum, quia dicit, impressionem in mentem audientis fieri non ab intellectu, sed à verbo productum in mente loquentis. Differt autem hæc opinio primum à sententia Scoti, tum quia cum Scotus asserit, ab intellectu loquentis derivari in intellectu audientis intellectum, affirmat, hanc produci ab intellectu loquentis constituto in actu primo per speciem intelligibilem, hæc autem opinio dicit, intellectum in mente audientis produci à verbo, & intellectum productum in intellectu & mente loquentis. Tum etiam quia Scotus inquit, notitiam in mente audientis produci à solo intellectu.

35

36.

Oram.

Gabriel.

Augustinus.

37.

In quo dif-

ferat hæc

sententia à præ-

cedentibus.

intellectu; & specie Angeli loquentis, ut ab integra causa, & Angelum audientem passive tantum se habere: at vero Gabriel, & Ocam dicunt notitiam in mente audientis produci à verbo existente in mente loquentis, & ab intellectu simul angeli audientis, ita ut ex his duobus una fiat causa. Deinde differt hæc sententia ab alia secunda opinione, tum quia illa docet, ab intellectu loquentis angeli non derivari in mentem audientis intellectionem, sed speciem, quæ sit illi principium intellectionis: hæc autem opinio alletit derivari intellectionem & cognitionem: tum etiam, quia secundo opinio affirmat speciem in mente audientis produci ab intellectione loquentis liberè pro arbitrio voluntatis: at vero Ocam, & Gabriel docent naturaliter & necessario produci. Confirmari autem potest hæc sententia eisdem fere rationibus, quibus alia duæ præcedentes.

Prima ratio
constr. a. illam
38.

Secunda.

Mihi tamē eodem modo, sicut & illæ, minime probatur. Primum quidem, quia, ut ostendi supra disp. 201. c. 2. notitia in mente angeli, produci non potest ab objecto extra angelum existente, siue illud sit corporeum, siue spirituale. Deinde quia hoc modo defendi nequit vera ratio locutionis inter angelos: locutio enim, quæ ad alterum est, libera debet esse, ut libere unus alteri exprimat, & significet suum conceptum, non autem naturalis & necessaria: alioqui & quilibet angelus alteri cuiusque loqueretur, cum ex sententia Gabrielis, & Ocam conceptus mentis suæ sit naturaliter alteri notus: imo etiam homo loqueretur cuilibet angelo: sequeretur etiam, hominem semper Deo loqui, & quod eius conceptus & secretum cordis semper est Deo notum & manifestum. Porro autem posse animam hominis, dū est in corpore, Angelo loqui imprimēdo naturaliter illi notitiam sui cōceptus, & contra etiam angelum animæ eodem modo loqui (quod est absurdum) ex dictis contra præcedentem sententiam in superiori capite manifestum est, nec oportet in eo amplius immorari.

Rationi tamen modo factæ respondent Gabriel, & Ocam, non posse unum Angelum alteri loqui, nisi velit, ac proinde ad locutionem duo requirit, & actum intellectus & voluntatis, ita ut locutio significet formationem cōceptus in mente, & connotet voluntatem manifestandi. Ceterum hanc voluntatem non esse necessariam ad hoc, quod ex imperio, & motione illius, actus intellectus, & verbum, quod est in intellectu loquentis, imprimat sui notitiam in audiente (hanc enim naturaliter efficit) sed ut Angelus in se voluntarie format conceptum ea intentione, ut in alium angelum operetur. Verum responsum hoc facile refutari potest. Nam cum verbum existens in mente unius Angeli, operetur in mentem alterius naturaliter, & non ex imperio, aut motu voluntatis: intentio illa Angeli nihil omnino conferat ad locutionem, & expressionem conceptus in mente alterius: ac proinde nullo modo ad rationem locutionis pertinebit. Solum enim voluntas illa efficere poterit, ut conceptus in mente loquentis exprimat: at vero ut ipse conceptus iam expressus, sit locutio nulla ratione ex illa pendeat. Spectaret autem ad rationem locutionis, si cōceptus existens in mente angeli loquentis, libere & pro arbitrio illius notitia sui in mente audientis produceret: at qui ex voluntate angeli id non potest, superiori capite satis probatum manet.

Vnum Angelum alteri loqui eo solum, quod velit suum secretum ei manifestum fieri absque alia in ipso mutatione discretum Catechismus, & Cap. solus.

Reliqui omnes Scholastici, qui de locutione Angelorum differunt, communi consensu in hoc unum contra præcedentes opiniones conspirant, ut dicant, unum Angelum alteri loqui nullo in eo effectu producto. Quid vero necessarium sit ex parte loquentis, non eodem modo replicant. Quare & ipsi in varias sententias divisi sunt, quas subinde sigillatim referemus. Prima eorum opinio, quæ sit in ordine quarta, est Catechismi, quæ qu. 107. artic. primo, & Capreoli in secundam dist. 11. quæst. 2. & aliorum, quos infra referemus, qui docent, eo solum, quod unus Angelus velit, secretum cordis sui esse alteri manifestum, ab eo recte intelligi: quare & ordinationem huius secreti ad alium Angelum (ut loquitur Catechismus) esse locutionem, & notitiam, quæ inde nascitur in mente alterius angeli, non quidem productam ab angelo loquente, vel ab aliquo, quod in mente illius existat, sed à solo angelo audiente esse conditionem. In hanc sententiam allegatur S. Doctor infra in ea quæst. 107. art. 1. quid tamen ipse dicat eo loco, videbimus inferius.

Hæc sententia confirmatur primam, quia si secretum cordis unius Angeli de se occultum esset, operetur alteri angelo, ut probatum est disputat. 209. cap. 10. Porro hoc secretum cordis, voluntate angelici, cuius est, posse alteri Angelo aperiri, nullus inficitur. Cum igitur, ut ex superioribus patet, non debeamus dicere, aliquid produci in intellectu audientis ab Angelo, qui loquitur: non videtur alia via superesse. Confirmat etiam Catechismus deinde, quia hoc ipso, quod secretum cordis voluntate eius, cuius est, ordinatur ad alterum Angelum, sola voluntatis illius ordinatione est in numero eorum, quæ ad alterum Angelum pertinent: sed quicumque angelus omnia ad secretum intelligere potest: ergo & secretum cordis alterius ex voluntate illius ita ordinatum. Hanc opinionem sequuti videntur Alexander 2. parte 2. dist. 27. membr. 6. Bonaventura in 2. dist. 10. art. 3. q. 1. & Albertus 2. par. tract. 9. q. 35. membr. 2. nam quatuorvis afferant, angelos sibi mutuo loqui per virtutes quosdam: intelligunt tamen natus esse ipsam conceptum intellectus angeli loquentis, & secretum voluntatis per ipsam voluntatem ordinatum ad alium angelum, ut illi manifestum sit. Denique iuxta horum sententiam, ita cognoscitur secretum cordis post voluntatem manifestandi, ut non solum certo, sed etiam notitia quidam, & intuitiva (ut aiunt) videatur.

Mihi vero, ut fatear mei ingenij tarditatem, si cuti etiam Magistro Cano ex Thomasti Scholasticis insigni viro prædicta opinio difficilis semper visa est. Primum quidem difficile est, sola voluntate loquentis angeli secretum voluntatis secretum intellectus, quod antea omnino ignotum erat, alteri Angelo nulla facta in ipso mutatione, nec aliqua re in ipso Angelo loquente, aut conditione producta, fieri manifestum: nam res aliqua in se omnino non mutata, eodem modo comparatur cum intellectu nunc & antea: mirabile namque esset, si propter respectum aliquem extrinsecum,

insecum, quem ex voluntate acciperet, fieret intelligibilis.

Quæstio.

Sed obijciat aliquis, rem aliquando melius intelligi propter varia media, quæ assumuntur ad explicationem eius, nulla omnino facta in ipsa re mutatione: mirum ergo non est, si ratione voluntatis ordinantis secretum cordis ad alium angelum, nunc cognoscatur, quod antea erat ignotum.

Responsio.

Respondeo, quando res non intelligitur, aut cognoscitur primariè, sed ratione alicuius prius cogniti, recte fieri posse, ut id, quod in se manet non mutatum, nunc intelligatur, & cognoscatur, cum antea non posset cognosci, aut intelligi: tunc autem fit aliqua mutatio ex parte obiecti, saltem eius, quod primario cognoscitur. Hac de causa ex vno principio cognito cognoscitur id, quod antea omnino ignotum erat: eodemque modo contingit, si fiat mutatio in aliquo signo exprimente rem: quia & hæc mutatio intelligitur facta ex parte obiecti cogniti: ac in præfati non ita contingit: voluntas enim, quæ Angelus vult suum secretum alteri notum esse, non est medium, quod prius cognitum, vel tanquam signum, vel tanquam medium ducat nos in cognitionem secreti cordis, neque quidquam mutat in ipso secreto: ergo nihil conducit, ut secretum cordis, accedente illa voluntate sic ordinante, cognosci possit: cum antea esset ignotum.

43.

Alia responsio
Cuius refutatio.

Quod verò asserit Caietanus, ideo cognosci secretum cordis absque alia mutatione, hoc solo, quod voluntate Angeli dirigatur, quia iam est de numero eorum, quæ pertinent ad alium Angelum, ad quem diriguntur, parum interest. Tum, quia si voluntas illa, quæ dicitur dirigere secretum cordis, non potest aliquid variare in ipso secreto: frustra dicitur, secretum, quod antea non pertinebat, nam deinceps pertinere ad alium Angelum ratione illius voluntatis: Tum etiam quia ex ea doctrina sequeretur, actum odij, vel amoris, quo vnus Angelus alterum prosequitur, non minus esse de numero eorum, quæ ad illum pertinent, quam secretum cordis post prædictum actum voluntatis: ac proinde iam effectus liber vnus angeli ex se ita notus esset alteri angelo, sicut sibi: quod Caietanus & audaces huius sententiæ, ut opinor non concedunt. Quod si vnus actus liber, eo quod habeat alterum Angelum pro obiecto est illi notus, eadem ratione & quicumque alius notus erit: quid enim refert actum vnus angeli versari circa alterum angelum tanquam circa obiectum, ut dicamus, illum potius actum cognosci, quam alium? quid etiam refert, actum vnus angeli pertinere iam ad alium angelum ex sola voluntate ordinantis, ut quod antea non poterat cognosci, nunc cognoscatur?

44.

Ex dictis etiam palam infertur, esse manifeste falsum id, quod docet Marfilus in 2. q. 6. ar. 2. suppositione 2. corollar. 2. nempe posse angelum voluntate sua celare habitum, quem habet, ita ut ab alio cognosci nequeat. Probat autem hoc modo, si potest celare angelus actum sui intellectus, & voluntatis, qui ex se sunt magis intelligibiles, quia plus habent actus, & minus potentie: multo maiori ratione dicendum est, posse etiam celare habitum, quem in se habet. Verum, cum ex dictis constet, solo voluntatis arbitrio absque vlla alia mutatione in re ipsa, vel in signo, vel in obiecto primario non reddi, aliquid intelligibile, quod

Vesque in 1. p. tom. 2.

antea non erat, ut probauimus, eadem ratione dicendum est, non posse solo nutu voluntatis celari. Quod si posset actus, posset etiam & habitus, ut infert Marfilus.

Deinde prædicta opinio hac ratione refellitur. Etiam si verum esset, quod auctores illius contendunt, videlicet secretum cordis post voluntatem, & ordinationem voluntatis manifestum fieri angelo. In hoc tamen modo aperiendi secretum non seruaretur vera ratio locutionis: nam locutio non est actus voluntatis, sed intellectus exprimentis aliquid: quare Theophyl. & Theod. ut infra referemus merito dixerunt linguam Angelorum esse eorum intellectum, cum tamen iuxta prædictam sententiam lingua angelorum esset voluntas. Respondebit fortasse aliquis, locutionem Angelorum esse conceptum ipsum, quem habebant occultum in mente sua, prout iam manifestus est, ordinatione voluntatis. Ceterum neque hac ratione defendi potest vera ratio locutionis: nam conceptus ille, prout fit manifestus ex affectu voluntatis ordinantis, non est expressio ipsa, & significatio, quæ est de ratione locutionis: sed potius est res expressa, & locutione ipsa significata: nulla igitur via vera ratio locutionis potest defendi.

Refellitur opinio Caietani.

Locutio Angelorum non est actus voluntatis sed intellectus.

Rationes vero huius opinionis facile possunt dissolui. Ad priorem dicimus, secretum cordis, vnus angeli ex se occultum esse alteri angelo, neque posse ei explicari, aut manifestum fieri impressa notitia, aut specie in mente illius, ut supra satis probatum est: nihilominus non opus esse recurrere ad prædictum modum philosophandi, quem præcedens sententia sequitur: sed alia faciliiori forsitan via defendi & explicari posse, vel certe, si nulla nobis suppeteret philosophandi ratio in hac difficultate fateri potius deberemus ignorantiam nostram, quam absque firmo fundamento aliquid asserere. Res enim est a sensu remoto illima: & ideo non mirum, si nos omnino lateat.

Dissoluitur ratio Caietani.

45.

Ad posteriorem rationem dico, vtrumque, quod ait Caiet. satis incertum esse, & absque fundamento, & quod secretum cordis vnus angeli post voluntatis ordinationem ad alium angelum pertineat, & quod omnia, quæ ad aliquem angelum aliquo modo pertinent, aut referantur, sint illi nota: nam, ut supra dicebamus, odij, & amor, quo vnus Angelus alium prosequitur, versatur circa illum, & ad illum non minus pertinet, quam ordinatio illa secreti, & tamen affectus ille odij, & amoris occultus est illi, circa quem versatur.

Explicatur mens S. Thomæ in præfatis diffinitionibus.

47.

Porro quod attinet ad mentem S. Thomæ, fere omnes Thomistæ non leniter, neque absque fundamento putant, esse pro hac opinione. Id quod præsertim colligitur ex ijs, quæ ex Doctore S. referemus infra disput. 2. 12. nihilominus possemus ipsum benigne interpretari. Nusquam enim dixit, secretum cordis vnus angeli ex sola voluntate habentis illud fieri manifestum alteri, & loquela explicari absque vilo alio exprimente signo, sed in articulo 1. quæst. 107. in corpore solum dixit, intellectum moueri à voluntate de potentia ad actum dupliciter, primum ut actu consideret, quæ habet in memoria, & ita angelum sibi ipsi loqui ex imperio voluntatis, nempe per actum intellectus, qui dicitur verbum, deinde dixit moueri intellectu à voluntate per ordinationem conceptus mentis suæ ad alterum, & sic vnus angelum loqui alteri, quo loco non existimat S. Th. locutionem

223 esse

esse ipsam ordinationem voluntatis: hac enim non loquitur sibi angelus: sed esse ipsum conceptum intellectu: hoc enim angelus sibi loquitur: atque eadem ratione dixit, conceptum ipsum esse locutionem ad alium, cum ad alium ordinatur: non quia cum antea conceptus esset productus in angelo, & alteri angelo ignotus, postea sola ordinatione voluntatis fiat ei notus, & sic respectu illius locutio: quia non omne, quod alteri notum est, est si verbum, est locutio respectu ipsius, sed quod ad ipsum dirigitur, ut cap. 12. explicabitur. Ideo igitur ex ordinatione voluntatis dixit S. Th. moveri intellectum ad loquendum alteri, quia ex eius imperio pender, ut intellectus unus angeli exprimat conceptum directum ad alterum angelum, qui conceptus respectu illius sit locutio: sicut ex eo etiam pender, ut actu consideret intellectus & sibi ipsi loquatur, & in solutione 1. solum assignat discrimen inter angelum & hominem, quod homo propter corporea impedimenta non statim atque ordinat secretum suum, alteri illud manifestat, sed opus habet manifestatione lingue exterioris: angelus autem non habet hoc impedimentum, & ideo statim, ac vult manifestare secretum, manifestat illud.

48.

Ex quo non docet S. Tho. Angelum solo nutu suæ voluntatis absque alio signo loqui alteri angelo. Neque S. Th. hoc visquam docuit. Imo in secundum dist. 11. qua st. 2. artic. 3. circa finem perspicue affirmat, locutionem fieri per aliquid signum, quod unus angelus in altero naturaliter cognoscere potest, fierique intellectualibus signis: nullum autem aliud intellectuale signum constituere visquam videtur, quam ipsum conceptum mentis productum ex directione illa voluntatis, quam diximus, ut expresse affirmat quæst. 9. de veritate, art. 4. ad 4. ubi ait, *Et sic unus Angelus per signum aliq. loquitur, scilicet per speciem, in cuius actu intellectus eius fit in ordine ad alium.* In corpore autem idem docuit, quod nos ex aliis locis retulimus. Quare potius videtur Sanctus Thomas tradidisse sententiam, quam capite duodecimo explicabimus.

CAPVT IX.

Quid senserit Durandus.

49.

Quinta opinio est Durandi, qui cum asserat, unum angelum alteri non loqui imprimendo aliquid intellectui illius: tamen locutionem Angelorum hoc modo explicat. Primam affirmat, posse Angelos sibi mutuo loqui expressa aliqua voce in aëre, sicut homines secum loquuntur; id quod solum potest esse verum in corporibus assumptis, de quo nulla hactenus fuit difficultas. De locutione tamen spirituali, de qua tota est controuersia, docet deinde, si vera est sententia, quæ asserit, cogitationes & secreta cordium ex se manifesta esse cuicumque Angelo, locutionem fieri sola ordinatione voluntatis unius ad alterum, non quia per illam faciat, ut secretum cognoscatur, quod antea ignotum erat; siquidem supponit, secretum cordis ex se omnibus esse manifestum, sed quia conceptus, & secretum omnibus notum, ad unum angelum, non ad alterum, dirigitur; veluti cum aliquis alta voce coram multis loquitur, auti, ita ut ab omnibus audiatur & intelligatur, non dicitur omnibus, sed coram omnibus uni loqui, ad quem secretum suæ volun-

tatis & verba dirigit. Quod si secreta cordium se o cœulta sunt angelis, inquit Durandus, se non inuenire modum, quo recte explicetur motus angelorum locutio.

Huic tamen sententiæ primum aduersatur Durandus. 2. de fide, cap. 3. ante medium: de Angelis enim inquit, Non lingua, nec auribus opus habent, verum intra sermonis administrandum cogitationes suas, atque eas inter se communicantes. Vbi plane pronuntiat, angelos spirituali modo sibi mutuo communicare, & illa dicitur; communicare autem idem est, quod exprimere, & manifestum est: etenim quod ex se notum est, non potest voluntate mea ei communicari. Cumque sine sermone dicat Durandus fieri hanc communicationem, aperte indicat, spirituali modo angelos sibi loqui, & secreta sua invicem manifestare.

Deinde contra Durandum pugnat efficitur argumentum. Nam si vera esset, ut ipse supponit, sententia quæ asserit, secretum cordis unius Angeli alteri esse per se manifestum & notum, nulla posset esse locutio inter Angelos. Etenim, ut supra dicebamus, locutio est actus intellectus, non rationalis facultatis exprimentis & significantis id, quod loquitur; ergo si Angelus loquitur de secreto cordis sui, illud debet exprimere & significare. Et quamvis contingat aliquando id, de quo aliquis loquitur, esse notum alteri locutio tamen in eo posita est, ut ex se sit expressio eius, de quo loquitur, vim habens ex se, ut faciat rem illam intelligi, si alias ignota esset.

Si autem sequeremur opinionem Durandi, nec locutio proprie esse posset in ordinatione illa voluntatis; quia locutio est opus rationalis facultatis & intellectus significantis, voluntas autem non significat; nec locutio esset in secreto conceptu & cogitatione, quam unus Angelus ad alium dirigit, quia hic conceptus non est expressio, sed potius res expressa & significata, de qua est locutio, nihil igitur haberet rationem propriam locutionis.

Occurrit tamen Durandus, & ait, in locutione exteriori duo quidem necessario repetiti, & præterea, quæ exprimitur, ac nota sit per locutionem & signum ipsum, quo exprimitur & significatur, nam de re, quæ non exprimitur signo, sed ex se solum nota est, non dicitur aliquis loqui, at in locutione spirituali & interiori certe non oportet duo illa esse, signum videlicet, & rem significatam, sed in se conceptus interior dicitur locutio, quæ sibi homo loquitur, dum intelligit, & præter illam non est res aliqua, de qua sibi homo loquitur. Eodem igitur modo, inquit Durandus, ille conceptus existens in mente angeli loquentis potest esse locutio ad alterum directæ, etiam si per se illi notus sit, & in eo non inueniamus duo illa, & signum exprimentis, & rem ipsam expressam.

Ceterum si veram rationem locutionis attendamus, facile comperiemus, tam in locutione interiori, quæ sibi angelus loquitur, quam in ea, quæ loquitur alteri, debere esse illa duo, quæ diximus, nam in conceptu nostro, quo dicimus interius loqui nobismetipsis, duo illa inveniuntur. Est enim expressio & significatio altius rei, nempe verbum ipsum, & expressa similitudo, altera res ipsa intellecta, veluti expressa & significata implinet intelligenti per eandem intelligentiam & expressam speciem illius; quare in hac locutione conceptus

conceptus noster non est res, de qua loquimur, sed potius est ipsa locutio: at vero conceptus existens in mente vnus Angeli, iuxta sententiam Durandi non est expressio ipsa, sed res potius intellecta, & expressa, alteri Angeli: conceptus enim est res, quæ cognoscitur, & alteri exprimitur: ergo voluntate Angeli dirigi conceptum potius ad vnum Angelum, quam ad alium, cum tamen antea esset omnibus æque notus, sufficiens non est ratio, vt dicatur locutio.

Mitto alios duos modos locutionis, quos refert Heraclitus loco inferius allegando. Vnus est asserentium, locutionem Angelorum fieri per aliquas impressiones in imaginatione alicuius animantis, ordinando species illius: alter est asserentium, locutionem fieri per aliquas figuras impressas in celo Empyreæ: hæc enim futilia sunt, & inania, vt patet.

CAPVT X.

Locutionem Angelorum fieri per signa quedam spiritalia, quæ non sint conceptus, & intellectiones.

seruunt Aegidius & alij.

Ceteri omnes, qui supersunt, auctores in hoc vnum conueniunt, vt vnus Angelus alteri loquatur expressione alicuius signi, non corporalis, sed spiritalis, instar locutionis exterioris & corporeæ. Variant tamen in assignando huiusmodi signo spiritali. Aegidius in 2. dist. 10. q. 3. art. 1. in resolutione articuli, Th. de Argentina eadem dist. quest. 1. art. 2. Gregor. in 2. dist. 9. qu. 2. Marfil. in 2. quest. 7. art. 2. Clichtonius in c. 3. lib. 2. Damasceni de fide ante medium docent, hæc signa spiritalia, vel nutus, per quos angeli secum loquuntur, non esse actus cognitionis, sed signa quedam spiritalia talis naturæ, quæ vni angelo manifeste significant cogitationes & secreta cordis alterius angeli. Huius sententiæ videtur Anselm. in illud, ad Cor. c. 13. Si linguis hominum loquar & Angelorum, vel Heraclitus, qui putatur auctor illorum commentariorum, vbi sic ait, Linguis, quibus sic alij loquuntur, alij intelliguntur, alij nutus, vel interiores motus, per quos intimant sibi viciū, quod reuelant: tamen hic auctor non facit explicet, vtrum hæc signa sint conceptus aliqui existentes in mente loquentis, an sint signa, quæ non sint conceptus. Cum his etiam sentit Melchior Tannus, qui nunquam intelligere potuit vnum Angelum alteri loqui eo modo, quo Thomistæ docuerunt. Ceterum prædicti Doctores ita asserunt, per hæc signa vnum Angelum alteri loqui, vt nullo modo signa transcant in ipsum Angelum, qui audit, sed manent in loquente. Cuius oppositum aliqui recentiores falso imponit his authoribus. His etiam solent annumerari, Nicolaus de Lyra in illud, 1. ad Corinth. c. 13. Si linguis hominum, &c. vbi inquit, in angelis esse aliquid naturaliter notū aliis, & quando in vno angelo illud ordinatur ad declarandum alteri, quod est ei secretum & occultum, tunc vnum angelum alteri loqui, & facultatem ita explicandi appellat linguam. Et Glossa ordinaria illius loci idem sentire videtur. Quia tamen non explicant, quid sit illud, per quod secretum vnus angeli exprimitur & explicatur alteri, non possumus plane iudicare, cuius nam fuerint opinionis. Fundamentum huius sententiæ nullum aliud existimo esse, nisi quia, cum constet vnum angelum alteri non loqui imprimendo illi speciem, noticiam, vel signum aliquod, nullus alius superesse videtur modus loquendi, quam hic, prædictum

cum magnam habeat similitudinem cum modo loquendi exteriori, quo homines inter se mutuo videntur.

Ceterum Durand. dist. illa 11. q. 2. n. 4. impugnat hanc opinionem hac ratione. Vel hæc signa naturaliter significant vel ex institutione: non naturaliter, quia si talia signa alicuius rei sunt, maxime affectuum, & secretorum cordis: horum autem esse non possunt, quia affectus, & ea quæ sunt intra intellectum angeli, sunt naturaliter nota, cuiusque: ad ea vero, quæ naturaliter sunt nota, non debuit natura signum aliquod instituere: accedit, quod per signa naturalia non dicitur fieri locutio, alioquin ille, qui efficeret, vt causa per effectus cognosceretur: tum etiam ille, qui secreta cordis sui effectū aliquo alteri patefaceret, vt veritatem, vel alia exteriori passione, diceretur loqui: quod videtur absurdum. Neque tale signum esse potest ex institutione, quoniam ea, quæ in angelo sunt naturaliter, variari non possunt. Hæc autem signa in angelo semper esse naturaliter, supponit Durandus ex sententia eorum, quos proxime tenuimus. Quinimo inde sequeretur, Angelos semper loqui, cum semper in se talia habeant signa: sicut etiam ille, qui perpetuo voce ederet, perpetuo loqui diceretur.

Argumentum tamen Durandi contra prædictam sententiam infirmū est. Primum quia, quamuis auctores citati dicant hæc signa & motus naturaliter significare: tamen non asserunt, semper in angelo esse, sed voluntarie ab ipsis produci, quando loquuntur. Maior autem capite seq. allegandus exillimat, esse quedam signa spiritalia ex libera institutione significatiua secreta cordis, hæc vero signa inquit esse conceptus quosdam notitiae reflexæ, de quibus inter se angeli conueniunt, vt hoc, aut illud ipsis significant, id quod non video sufficienter impugnari ratione Durandi, nam quamuis ex institutione libera non variarentur conceptus in se, sicut neque voces ex institutione mutantur, nihilominus institutio libera hoc efficere posset, vt illis conceptibus secretum cordis mutuo significaretur, sicut vocibus non variatis res diuerse, vt placet, significantur.

Ceterum ego potius existimarem huiusmodi signa naturalia esse, non autem libere instituta, si aliqua esse possent. Fiuolum enim videtur, Angelos inter se prius conuenisse, vt talia signa ad hoc aut illud significandum instituerentur. Quinimo talis conuentio, & in vnum congregatio videtur inter angelos impossibilis, nisi esset aliqua signa quæ naturaliter significant affectus & secreta cordium. Nam, vt inter eos conueniret, & de instituendo aliquo signo tractarent, deberent se mutuo intelligere, & prius aliquo modo seiplos explicare, & secum loqui, veluti si homines aliqui inter se egissent de institutione alicuius lingue, necesse erat per nutus naturaliter significantes, vel per aliam priorem linguam conuenisse, sic autem iam esset aliquid prius, per quod angeli secum loqui possent, ac proinde non egebant nutibus & seiplos aliquo modo institutis; nam si inter homines est necessaria lingua, ideo est, vt faciliiori modo se mutuo intelligant, quia nutibus difficile se explicare possent, inter angelos vero si aliqua signa naturalia esse possent, ea sufficerent, vt se non minus recte explicarent, quam signis institutis, propter eorum summam perspicuitatem.

22 4 Deinde

Durand. impugnat prædictam sententiam.

55

56. Hæc signa naturaliter significantes verius est.

57.

Deinde falsum est id, quod subiungit Durand. in sua ratione, nempe ideo non esse aliqua signa inter angelos, quæ naturaliter significant secreta cordis, quia secreta cordium ex se manifesta sunt aliis. Tum quia absurdum est, ut præc. disp. monstrauimus, secreta cordium ex se manifesta esse omnibus angelis. Tum etiã quia licet essent, nihil obfisteret, quominus haberet signa quædã, quibus naturaliter significarentur: sicut effectus semper naturaliter significat causam à qua procedit: licet hæc signa angelis non essent necessaria, si alioqui secreta cordium per se cognoscere.

Per gemitus
possumus ali-
quando loqui

Postremo obijcit Durandus contra prædictam sententiam, quia si per signa quæcunq; loqui possemus, sequeretur, per gemitus etiã nos posse loqui, quod est absurdum. Sed obiectio friuola est. Nam si aliquis intentione exprimendi cõceptum suum gemitus ederet absque dubio loqueretur: sicut etiam mutus per natus dicitur loqui.

Præcedens o-
pinio proba-
bilior indi-
catur.

Quamobrem hæc sententia ceteris probabili-
or est. Nulla enim ex illa sequuntur incommoda, quæ sequuntur ex aliis, quas hæcenus tetuli. Posset tamẽ quis contra eam hac vi ratione: cum locutio sit operatio facultatis rationalis, & in angelo sit actio intellectus: efficitur ut dum Angelus loquitur, producat in se signa illa, quibus exprimere cupit secretum cordis: si enim semper in Angelo existerent, non possent habere rationem locutionis, nisi diceretur angelus illis semper loqui: atqui intellectus possibilis nullam aliam operationem habere videtur, quã intellectionem, & per intellectionem productionem habituum: cur ergo debemus modo confingere nouum genus operationis in angelis? Responderi tamen potest, nulla alia ratione hoc genus signi fuisse excogitatum, quam ad explicandam rationem locutionis, quam oportet in Angelis asserere. Ceterum si faciliiori via eam explicare possemus, necesse non esset ad hoc genus signi confugere. Quod si modus, quem statuit capite sequenti subiiciemus, non placet, hic mihi ceteris omnibus præstare videtur.

58.

CAPVT XI.

Locutionem Angeli esse verbum mentis, vel intellectionem aliquam alijs censens.

59.

Postrema in præsentia controuersia videtur opinio eorum, qui asserunt, vnum angelum alteri loqui, eique secretum sui cordis aperire expressione verbi interioris, hoc est, quadam intellectione, in qua videat alter Angelus secretum loquentis, & eo ipso audire dicatur. Quam quidem sententiam tradunt Henricus quodlib. 5. q. 1. §. a. 2. Hieronymus in 2. dist. 11. qu. 1. Maior dist. 9. qu. ult. & mihi non videtur improbabilis. Conueniunt igitur hi auctores cum reliquis præcedenti articulo commemoratis in eo, quod locutio Angelorum fiat signo aliquo spiritali: differunt tamen ab eis: quia illi asserunt, hæc signa nõ est actus cognitionis, & intellectionis, hi vero dicunt, esse quãdam cognitionem expressam in mente loquentis, quã fiat manifestum alterum secretum cordis: variant nihilominus aliquo pacto in explicanda hac sua opinione. Maior docet, hoc fieri ex institutione ipsorum angelorum, quibus visum est, ut aliquibus conceptibus sua secreta sibi mutuo communicarent: quam quidem institutionem superiori capite improbauimus.

Henricus.
Hieronymus.
Maior.

Henricus vero hoc modo philosophatur. Docet primum, singularia non cognosci ab Angelo per proprium conceptum, & speciem, sed per speciem vniuersalem: ita ut conceptu vniuersali quiditatis non mutato, Angelus, ut vult, nunc intelligat hoc singulare, nunc illud, prout voluerit illum conceptum applicare: intelligit autem Henricus hanc suam sententiam de singularibus, quæ superior angelus reuelatione aliqua solum cognoscitur nam de his tantum putat esse locutionem, nõ de aliis rebus cognitis siue vniuersalibus, siue singularibus: quia existimat, hæc omnia, & cõceptus de illis esse naturaliter notos inimicis Angelis ipsis: de notis autem frustra esset locutio.

Deinde docet, locutionem de singularibus inter Angelos ita fieri, ut Angelus, qui reuelatione cognouit singulare, explicet alteri cõceptu, quem habet de illo singulari formando quendam alium cõceptum indiuidui vagi, quem alius angelus intelligere possit: sicut & nos verbis significatiuis indiuiduum vagum: exprimimus aliquando singulare determinatũ. Mitto alia, quæ ipse asserit in explanatione huius sententia, & rationes, quibus eam confirmat, quæ parum habent momenti.

Hunc modum opinandi Henrici improbat Scotus in 2. dist. 9. q. 2. §. Circa istas questiones. Primo in eo, quod dicit, locutione proprie in Angelis fieri, per verbum intellectualem: in quo tamen nihil non videtur improbabile, ut infra explicabitur. Secundo, quia docet, vnum Angelum alteri tantum loqui de singularibus, quæ reuelatione ipse nouit; in quo quidem hæc sententia mihi etiam non probatur. Tum, quia ex ea sequeretur, angelum solum superiorem loqui inferiori, siquidem solum superior potest inferiori occultare reuelare. Tum etiam, quia id, de quo vnus angelus potest alteri loqui, non tantum est cognitio alicuius singularis, quod per reuelationem inferiori communicat, sed etiam secretum suæ voluntatis: de hoc autem, ita potest angelus inferior loqui superiori, sicut superior inferiori: quia etiam secretum voluntatis inferioris ignotum est superiori: id quod ipse etiam Henricus concedit, ut vidimus disput. 209. cap. 4.

Tertio impugnatur Scotus sententiam Henrici: quia falsum est, per eundem conceptum vniuersalem nature manentem eodem modo, & non mutatum posse cognosci singulare, atque in hac parte hanc sententiam nos etiam falsam existimamus, quia, ut ostendimus superiori disp. 209. c. contra Th. de Argent. fieri nequit, ut per eandem cognitionem, vel conceptum non variatum incipiat aliquid cognosci, quod antea non cognoscebatur.

Postremo Hieronymus loco allegato dicit locutionem fieri inter Angelos per verbum mentis productum in intellectu loquentis, sicut exterior locutio fit in nobis verbo vocis prolato; ita ut conceptu illo, & verbo mentis explicetur aliquid, quod in cogitatione alia erat occultum. Dixerat enim hic author, ut retulimus disput. 209. capite 1. cogitationes vnius Angeli notæ esse alteri, quid sint, & circa quid sint, imo etiam verum per modum affirmationis, an negationis, circa obiectum versentur, non tamen cogitatio circa quid intensus versentur. Putat igitur Hieronymus, quod erat occultum in cogitatione & intentione ipsa voluntatis, exprimi & significari alio conceptu & verbo mentis, à qua opinione recte abhorret.

abhorret S. Thomas locis à nobis allegatis cap. 8. imo eam expressisse videtur cum ait, locutionem fieri per signa intellectus, ea vero esse speciem intelligibilem, quatenus actu suo ordinat intellectum ad alium. Ceterum, quamvis non probetur nobis sententia Heruzi in eo, quod asserit, cogitationes vnius Angeli ita esse alteri manifestas, nempe quid sint, & circa quid, ut nihilominus lateat, circa quid intensius versentur, propter rationes factas loco citato: proponam tamen fundamenta ipsius, quatenus asserit, vnum angelum alteri loqui verbo mentis suae: in quo cum Henrico, & Maiori convenit. Ceterum huius controuersiae definitionem aliorum iudicio relinquam.

Huius autem rei gratia principio praemittenda est doctrina eorumdem doctorum, quam retulimus disput. 209. nempe cogitationes intellectus vnius Angeli notas esse alteri secundum substantiam, quatenus cogitationes sunt, non tamen ex qua intentione oriuntur: cumq; cogitatio de aliquo obiecto sit expressio quaedam illius, & dicatur verbum intellectus, aut mentis: recte sequitur, in eo esse locutionem angelorum: etenim si aliquis Angelus conceptu suae mentis diceret alteri, e habere talem intentionem in secreto cordis sui, non minus loqueretur ipsi, quam si exteriori verbo id significaret: nam ut infra explicabitur, conceptus de realia non solum est cognitio talis rei habenti illum, sed etiam alteri videnti & intuenti ipsum, eique tanquam signum comparari potest.

Nunc vero haec sententia in vniuersum confirmatur auctoritate Patrum, & ratione. Theophylactus in illud 1. a. 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar*, inquit: *Siquidem potentia quidam intelligendi, quae inuicem diuina communicant sensu, Angelorum est lingua. Quod si ex sententia Theophyl. lingua angelorum est facultas intellectus ipsorum: fit, ut verbum etiam, quo sibi mutuo loquuntur, sit conceptus vi ipsa intellectus prolaris, quo non tantum secum, sed etiam cum aliis loquuntur, & hoc sensu sua aliis significent. Et Theodor. in eundem locum ita scribit: Angelorum autem linguas dicit, non quae sensu, sed quae intelligentia percipiuntur, per quae & vniuersum Deum laudant, & inter se differunt. Sed quid quæro, in Ang. lo esse potest, quo Deum laudet, & cum alio differat, nisi intellectus? laus enim sicut & oratio actus est intellectus non voluntatis, ut compertum est. Porro laudare, & disputare de re aliqua, intellectus opus est: fit igitur, ut verbum Angelorum sit conceptus intellectus prolaris, quem verbum mentis aut intellectus appellamus. Porro si vnius angelus potest alteri loqui, poterit etiam ipsum deprecari, & laudare: qui deprecatio, & laus est actus intellectus, qui reuera est intellectus: ergo & locutio similiter erit actus intellectus. Quid vero Gregor. sentiat, cum ait locutionem angelorum cum Deo, esse desiderium ipsius voluntatis, infra explicabitur. Beda autem libro 2. super Iob in illa verba c. 7. *Si subito apparueris aurora* cum inquit, angelorum locutionem esse consensum, intelligit non sine intellectu enuntiatione & prolatione: infra enim inquit, *Et quod volunt. illico enuntiant*: enuntiationem autem intellectus quaedam est. Subiungit deinde: *Vnde fieri potest, ut similes motus per subtilitatem naturae suae se perspexerint: & hoc dictum sit colloquium: non enim quidquam affectuum suorum ad inuicem latere**

spiritus potest: simplices enim creatura nullum habentes obfuscationem corpulentum, perspicua sibi sunt. Caute tamen explicandus est, ne dicamus, omnem affectum voluntatis angeli vnius esse norum alteri, sed tantum nulla corporis mole impediri, ne videatur, quid aliis interior loquatur: nos enim quod corporei sumus, corporis sensibilibus mole impedimur, ne videamus occultum angeli sermonem.

Verum enimvero ut perspicue intelligamus hunc modum philosophandi, quem ex Heruzo & aliis retulimus, duo obseruanda sunt. Vnum est, omnem conceptum & actum intellectus esse locutionem quandam, & in omni illa verbum & sermonem spiritualem reperiri: etsi autem omnis cogitatio, quatenus cogitatio, secundum se sit nota Deo, & angelis, ut huc fert opinio: tamen non omnis habet rationem locutionem cum Deo, & cum Angelis, sed illa solum, quae est, quasi reflexus quidam actus, quo aliquis explicat se habere talem conceptum de tali re: quia loqui alteri non est, manifestum esse illi conceptum nostrum: alioqui cum aliquis diuinatione, vel alia via scit, quid habeamus in corde, diceretur nos illi loqui, quod est absurdum: sed loqui alteri, est signo aliquo exprimere, quid nos habeamus in corde: cumque verbum & conceptus cogitationis nostrae sit signum rei cogitatae, fit, ut actus intellectus, quo vnius Angelus alteri explicat secreta cordis sui, sit locutio respectu illius. Ideo autem dixi locutionem Angelorum esse actum intellectus quasi reflexum, quia vel est actus intellectus de cogitatione, vel de actu voluntatis & secreto cordis. Dixi etiam, omnem actum intellectus esse locutionem, quia intellectus, qui intelligit secum dicitur quodammodo loqui, & ob id quod exprimit intra se, dicitur verbum mentis ipsius.

Alterum notandum est, rationem locutionis non solum consistere in conceptu explicante, & exprimente secretum cordis, sed praeterea necessarium esse, dirigi talem conceptum ad aliquem, à quo volumus illum audiri, vel intelligi: sicut in verbo exteriori contingit, nam quamvis aliquis ita alta voce loquatur, ut à multis audiat, tamen non dicitur omnibus illis loqui, sed eis tantum, ad quos verba sua peculiari quadam ratione dirigit. Locutio autem ad alterum multis modis fieri potest: nam fit per modum imperij, orationis, narrationis simplicis, aut doctrinae. Sicut autem imperium est actus intellectus manifestans inferiori affectum & voluntatem superioris, ut res fiat: oratio vero est actus intellectus manifestans inferioris desiderium obtinendi aliquid à superiori, & potente, ut prima secundae quæst. 17. explicabitur: ita etiam simplex narratio & locutio, est manifestatio secreti inter aequales, tantum gratia manifestandi illud.

Porro modus, quo actus intellectus explicans secretum cordis, semper dirigitur peculiari aliqua ratione ad eum, cui dicitur fieri locutio, inferius explicabitur. Ex dictis igitur colligimus iuxta hanc opinionem locutionem spirituales Angelorum esse conceptum quandam intellectus, quem habent de secreto cordis peculiari quadam ratione ad alium ordinatum, per quem alteri significatur id, quod quis habet in corde: quæ quidem doctrina cap. seq. magis elucidabitur.

67. **R**eliquum est, ut quædam argumenta, quæ contra superiorem doctrinam obijci possunt diluamus, & eorum solutione prædictam sententiam magis ac magis explicemus. Primum est: si omnis conceptus vnus angeli, quatenus est conceptus & quædam mentis cogitatio, notus est alteri: sequitur, per talem conceptum posse quidem vnum angelum loqui de secreta intentione suæ voluntatis, non tamen explicare aut loqui de cogitatione alia, quam ipse in mente habeat: eo quod locutio non de notis & manifestis, sed de ignotis & occultis esse debeat.

Scotus.

Respondeo primum cum Scotus in 2. dist. 9. qu. 2.

§. Ad argumenta secunda questionis in solutione primi locutionem esse posse de his etiam rebus, quæ alteri nota sunt: quia & ad Deum vere loquimur oratione, & gratiarum actione, explicantes illi nostrum affectum, & desiderium, dum postulamus: cum tamen ipsum desiderium pauperum sine ulla oratione sit ei manifestum, & acceptum, iuxta illud Psal. 10. Desiderium pauperum exaudivit Dominus.

Gregor. Mag.

§. Quæ fortan ratione Gregorius Magnus secundo libro moral. ca. 4. dixit, Angelos Deo loqui per hoc, quod in motum admirationis rapiuntur: & vocem Angelorum inquit esse motum ipsum admirationis, voces autem sanctorum clamantium ad Deum esse desiderium ipsorum: non quia in affectu solo proprie sit locutio, sed quia hæc nota sunt Deo secundum se, non aliter, quam si voce exprimerentur: alioqui sicut desiderium solius voluntatis non est proprie oratio, ita etiam nec est proprie locutio. Angelos autem posse loqui cum Deo oratione, non quia Deus egeat illorum sermone ut aliquid intelligat, sed quia ipsi postulare possunt, res est manifesta, & tradit expresse Sanctus Thomas infra questionem 117. art. 2. ad 1. Deinde dico iuxta hanc opinionem, cogitationem, quam habet vnus angelus, tantum esse alteri notam, quando est præsens: præteritam autem, aut futuram non esse notam, quia nisi præteritæ habeat memoriam eo, quod præsentem cognovisset, difficile videretur posse eam ab angelo cognosci: de hac igitur posset vnus angelus alteri loqui tanquam de re ignota & ita non solum de desiderio suæ voluntatis, sed etiam de cogitatione sua occulta loqueretur.

Secundum argumentum

Secundum argumentum est huiusmodi: si eo modo, quo diximus, vnus Angelus alteri loqueretur, posset simul & eodem sermone idem Angelus pluribus loqui sine certo termino & fine: nam idem conceptus in mente loquentis exprimens secretum cordis, eodem modo se habet ad omnes: ergo omnes audire possunt, ac proinde omnibus etiam ipse loqui diceretur. Nonnulli qui dicunt, vnum Angelum alteri loqui ex eo, quod illi imprimit intellectum, aut speciem sui conceptus, fatentur, nihilominus posse vnum pluribus loqui absque vllō termino. Mihi vero si eorum sententia de modo locutionis Angelorum probaretur, de numero, quibus Angelus vnus loqui posset, aliter philosophandum esset. Nam sicut Angelus virtute propria non potest plura corpora simul movere sine determinato numero, etiam si nunc solo suæ voluntatis mo-

ueat, quia vim habet finitam & limitatam: eodem modo non posset actioni spirituali pluribus angelis absque certo numero & termino speciem aut cognitionem sui secreti imprimere: quia tamen circa actionem spirituales, quæ circa corporeas virtutem habet finitam, si nota autem virtus pollat effectum determinatum non solum secundum speciem, sed etiam numero, ut supra dist. 9. cap. 2. explicatum est, ita vt simul non possit ab ipso termino plura producere; nam quod ipsa secundum durationem in infinitum persequens possit plura in infinitum producere, non arguit insufficienter virtutem infinitam secundum durationem, sed secundum solam durationem; quatenus cum Scotus dixisset, vnum angelum alteri loqui cum imprimit ei cogitationem sui secreti, consequenter asseruit in secunda dist. 9. quæst. 2. §. Secundo declarando, & in reportatis eadem quæst. non posse angelum loqui, nisi determinato numero angelorum.

Ceterum iuxta hanc posteriorem opinionem, quam ex Heruzo, & aliis retulimus, non est necesse vt dicamus, virtutem angeli ad loquendum, ad certum numerum terminari; tam cum locutio fiat ex eo solum, quod in mente loquentis proponitur verbum quoddam spirituale, & hoc possit obijci pluribus angelis sine termino, sicut etiam verbum externum, nisi defectus multiplicationis specierum vsque ad auditum obstat, efficitur iuxta hanc opinionem, vnum angelum posse multis aliis sine termino loqui. Quod si dicas, ad locutionem non solum requiri expressionem verbi interioris, sed ordinationem etiam voluntatis ad eum, cui loqui volumus, voluntas autem non potest conceptum suum ad plures sine termino ordinare.

Respondeo, non opus esse distincta ordinatione voluntatis ad singulos, sed satis esse, si confusa voluntas in omnes feratur; sicut cum aliquis loquitur voce alicui multitudini, non dirigat verba sua, nec ad voluntatem in singulos, sed in omnes simul illius multitudinis.

Tertium argumentum: Ex prædicta opinione inferitur, angelum, qui loquitur, non habere vim ullam excitandi audientem, si nihil in mente illius producat, sed solum ei proponit verbum, dum exprimit illud suo intellectu. Respondetur primum, si hoc argumentum alicuius momenti est, non solum contra postremam sententiam vim habere, sed etiam contra multas alias superiores commemoratas ex ijs, quæ dicunt, angelos ita secum loqui, vt vnus nihil imprimat intellectui alterius. Solus est Alexand. 2. par. qu. 37. memb. 7. qui cum asserat, vnum angelum alteri loqui absque eo, quod imprimat illi aliquid: affirmat nihilominus, in eo saltem casu cum vnus alteri loquitur de mysterijs gratiæ, habere vim excitandi illum; cum tamen eam non habeat, quando loquitur de alijs rebus naturalibus; nullā tamen rationem differentie assignat, neque assignare potest. Deinde dico etiam secundam opinionem eorum, qui docent, vnum Angelum alteri loqui imprimendo illi speciem, non sequi vnum angelum necessario ab alio excitari, vt superius contra illam sufficienter ostendimus. Solum in sententia Scoti, & aliorum qui docent, vnum Angelum, alteri loqui per hoc, quod illi imprimit cognitionem, dicendum est angelum, qui audit, necessario excitari ab eo, qui loquitur; hanc

tamen sententiam iam superius impugnauimus. Fatemur igitur, vnum angelum non habere virtutem excitandi alium, vt necessario audiat, siue loquatur de rebus naturalibus, siue de mysticis gratiis: nullam enim inter hæc duo differentiam inuenio: aut sane, si est aliqua vis excitandi necessario angelum, vt audiat, eam nobis ignotam esse.

Postremo his omnibus, quæ diximus, duo addenda sunt. Vnum est, non modo angelum superiorem loqui posse inferiori, verum, etiam angelum inferiori superiori, sicut expresse docuit S. Thomas quæst. 107. art. 2. & omnes Doctores superius allegati. Et quamuis in sententia eorum, qui affirmant, vnum Angelum alteri loqui impressione alicuius rei, hoc difficultate non careat, quia difficile videtur, quomodo Angelus inferior agere possit in superiorem, in opinione tamen, quam posteriori loco adduximus & in ceteris omnibus nullam habet difficultatem. Id autem quod de angelis diximus, intelligendum est de animabus separatis, quandoquidem absq; conuersione ad phantasmata intelligent, sicut Angeli: ita vt vna anima alteri animæ, aut angelo, & angelus animæ loquatur.

Alterum est, animam, & angelum loqui posse cum Deo, sicut docet S. Thomas q. 107. art. 3. nam quamuis Deo nota sint secreta cordis: potest tamen angelus, aut anima verbo mentis suæ illud exprimere, & Deo proponere, sicut oratione facit, & gratiarum actione.

DISPUT. CCXII.

An possit Angelus loqui cum altero in quacunque distantia.

Necessarium esse determinatam distantiam, vt angelus alteri loquatur, aliqui senserunt. c. 1.

Distantiam nihil conferre, vt vnus angelus alteri loquatur multo verius docuerunt Sanctus Thomas, & alij. cap. 2.

CAPVT. I.

Necessarium esse determinatam distantiam, vt Angelus alteri loquatur, aliqui senserunt.

IN articulo 4. q. 107. disputat S. Thomas, an distantia secundum locum aliquid conferat, vt vnus Angelus alteri loquatur, sicut inter homines certa quædam & determinata requiritur. In qua difficultate non pauci Scholastici affirmant, distantiam multum conferre, vt vnus angelus alteri loqui possit: ideoque propter distantiam locutionem aliquando impediri. Hanc sententiam tradit Gregorius in 2. dist. 9. q. 2. Scotus in reportatis dist. citata q. etiam 2. & in 2. eadem dist. q. 2. §. Ad questionem, versiculo. Sed contra hoc obijciunt. Id etiam supponit, vt verum Gabriel q. 2. a. 5. dub. 2. & 3. Maior q. 2. Ricardus a. 2. q. 1. ad 3. imo hic author affirmat, oppositam sententiā fauere ar. damnato ab Schola Parisiensi. nempe angelum nō esse in loco. Idem docent Bonau. in 2. dist. 10. art. 3. q. 1. Bassolis dist. illa 9. q. 2. art. 2. Fundamentum huius sententiæ est humilmodi: quamuis locutio angeli si operatio spiritualis, est tamen limitata & finita: postulat igitur distantiam determinatam: nam & corporalis locutio ideo eam postulat, non quia corporalis sit, sed quia finita & determinata virtutis. Hæc tamen ratio, si alicuius momenti est, io eorum dun-

taxat sententia valet, qui asserunt locutionem angelorum fieri impressa aliqua forma menti audientis; cuius sententiæ fuerunt Ricardus, Gabriel, Scotus, & Bassolis, quamuis diuerso modo eam fuerint secuti. At vero in opinione Greg. Maioris & Bonau. qui defendunt, vnum angelum alteri loqui absque eo, quod illi aliquid imprimat, siue per signa, siue alio modo, ego sane non video, quam vim possit habere.

CAPVT. II.

Distantiam nihil conferre, vt vnus Angelus alteri loquatur, multo verius docuerunt S. Thom. & alij.

PLacet igitur sententia eorum, qui affirmant, nihil omnino iuuare propinquitatem ad audiendum aut impedire distantiam, quo minus vnus angelus alteri loquatur, ita vt audiri possit: quam docuerunt S. Th. infra q. 107. art. 4. Caiet. & recentiores Thomistæ ibidem Alex. 2. part. q. 27. membr. 7. & Marfil. in 2. q. 7. art. 2. ad quintam rationem. Eam vero ego non tantum existimo veram, si eorum sententiam sequamur, qui dicunt, locutionem fieri absque vlla impressione inmanente audientis, sed etiam si cum Scoto, & alijs dicamus, vnum angelum alteri solum loqui impressione aliqua facta in mente illius: nam causæ corporeæ ideo postulant determinatam distantiam, quia earum effectus continuo debet diffundi, nec possunt agere in extrema parte, quin agant in totum spatium actione cōtinuata: si autem non postularer distantiam determinatam, earum effectus esset infinitus secundum extensionem, quod est impossibile. Quæ quidem ratio cum eodem modo probet de operatione angelorum, quæ transit in exteriorem materiam, quia hæc necessario debet per totum spatium continuo diffundi, vt supra disp. 189. ca. 2. probatum est: tamen de operatione spirituali, qualis est locutio nihil probat. Nam cum operatio spiritualis, si aliqua est ab vno Angelo in alterum, non transeat per medium, non erit maior, aut minor, quia versetur circa angelum, magis aut minus distantem: ipsa enim ex se solum quatenus in angelo recipitur expendi debet, & definiti. Quæ ratione diximus in ea disput. fore, vt angelus posset operari in materiam existentem in quauis distantia, si eius operatio non diffunderetur continuo per spatium: idemque de corporibus agentibus dixi, si possent siue medio in extremum operari.

Est igitur hæc sententia, vt opinor, vera, quacumque ratione velimus philosophari de modo, quo vnus angelus alteri loquitur: sed iuxta communem opinionem præsertim, quæ dicit nihil imprimi menti angeli audientis ab eo, qui loquitur, vt ipsum audiat: sic enim quemadmodum angelus in quacumq; distantia potest rem extra se existentem intelligere: eodem pacto poterit audire: siquidem eius audire, intelligere quoddam est, & locutio extra ipsum esse debet. Ceterum obseruandum est, posse quidem Angelos distare inter se maiori & minori distantia corporum, si illa esset maior & minor, nunquam tamen, etiam si spatium esset infinitum, posse collocari in infinita distantia. Ratio prioris est, quia cum voluntate propria possunt mutare locum absq; vlla fatigatione, possunt infini-
Sententia hæc vera esse debet apud omnes.
Angeli non possunt infinitum distare.
tere: neq; signare poterimus locum, à quo non possit